

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1780

Liber XXIX

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1309](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1309)

LIBER XXIX

L

SCIPIO, postquam in Siciliam venit, voluntarios milites ordinavit centuriavitque: U. c. 547.
a. C. 205.
ex iis trecentos juvenes, florentes ætate & virium robore, inermes circa se habebat, ignorantes, quem ad usum, neque centuriati, neque armati, servarentur. Tum ex totius Siciliæ juniorum numero principes genere & fortuna trecentos equites, qui secum in Africam trajicerent, legit: diemque iis, qua equis armisque instructi atque ornati adessent, edixit. Gravis ea militia, procul domo, terra marique multos labores, magna pericula adlatura videbatur; neque ipsos modo, sed parentes cognatosque eorum ea cura angebat. Ubi dies, quæ dicta erat, advenit, arma equosque ostenderunt. Tum Scipio, «renunciari sibi [dixit] quosdam equites Siculorum, tamquam gravem & duram, horrere eam militiam. Si qui ita animati essent, malle eos sibi jam tum fateri, quam postmodo querentes, segnes atque inutiles milites reipublicæ esse. Expromerent, quid

U. c. 547. » sentirent; cum bona venia se auditurum. »
a. C. 205.

Ubi ex his unus ausus est dicere, « se prorsus, si sibi, utrum velit, liberum esset, » nolle militare; » tum Scipio ei, « Quoniam igitur, adolescens, quid sentires, non » dissimulasti, vicarium tibi expediam, cui tu » arma equumque & cetera instrumenta militiæ tradas, & tecum hinc extemplo domum » ducas, exerceas, docendum cures equo » armisque. » Læto conditionem accipienti unum ex trecentis, quos inermes habebat, tradit. Ubi hoc modo exauctoratum equitem cum gratia imperatoris ceteri viderunt, se quisque excusare, & vicarium accipere. Ita trecentis Siculis Romani equites substituti, sine publica inpenſa. Docendorum atque exercendorum curam Siculi habuerunt; quia edictum imperatoris erat, ipsum militaturum, qui ita non fecisset. Egregiam hanc alam equitum evasisse ferunt, multisque proeliis rempublicam adjuvisse. Legiones inde quum inspiceret, plurimorum stipendiorum ex iis milites delegit; maxime qui sub duce Marcello militaverant: quos quum optima disciplina institutos credebat, tum etiam ab longa Syracusarum obsidione peritissimos esse urbium

*Trecentis
equitibus
Siculis
Romani
equites
substituti.*

*Plurimorum
stipendiorum
milites
delegit
Scipio.*

obpugnandarum. Nihil enim parvum, sed *U. c. 547.*
 Carthaginis jam excidia agitabat animo. Inde *a. C. 205.*
 exercitum per oppida dispertit: frumentum
 Siculorum civitatibus imperat; ex Italia ad-
 vecto parcit: veteres naves reficit, & cum
 iis C. Lælium in Africam prædatum mittit;
 novas Panormi subducit, quia ex viridi ma-
 teria raptim factæ erant, ut in sicco hiberna-
 rent. Præparatis omnibus ad bellum, Syra-
 culas, nondum ex magnis belli motibus satis
 tranquillas, venit. Græci res a quibusdam
 Italici generis, eadem vi, qua per bellum
 ceperant, retinentibus, concessas sibi ab se-
 natu, repetebant. Omnium primum ratus
 tueri publicam fidem, partim edicto, partim
 judiciis etiam in pertinaces ad obtinendam
 injuriam redditis, suas res Syracusanis resti-
 tuit. Non ipsis tantum ea res, sed omnibus
 Siciliae populis, grata fuit; eoque enisus ad
 bellum adjuverunt. Eadem æstate in Hispania
 coortum ingens bellum, conciente Ilergete
 Indibili, nulla alia de causa, quam per ad-
 mirationem Scipionis contemtu imperatorum
 aliorum orto. « Eum superesse unum ducem
 » Romanis, ceteris ab Hannibale interfectis,
 » rebatur. Eo nec in Hispania cæsis Scipio-

*Res
 Siciliae
 componit.*

*Bellum
 in
 Hispania.*

U. c. 547.

a. C. 205.

» nibus alium, quem mitterent, habuisse : &
 » postquam in Italia gravius bellum urgueret,
 » adversus Hannibalem eum arcessitum. Præ-
 » terquam quod nomina tantum ducum in
 » Hispania Romani haberent, exercitum quo-
 » que inde veterem deductum. Trepida omnia,
 » ut inconditam turbam tironum, esse. Num-
 » quam talem occasionem liberandæ Hispaniæ
 » fore. Servitum ad eam diem aut Carthagi-
 » nienfibus, aut Romanis : nec in vicem his
 » aut illis, sed interdum utrisque simul. Pulsos
 » ab Romanis Carthaginienfes ; ab Hispanis,
 » si consentirent, pelli Romanos posse : ut ab
 » omni externo imperio soluta in perpetuum
 » Hispania in patrios rediret mores ritusque. »
 Hæc aliaque dicendo non populares modo,
 sed Aufetanos quoque, vicinam gentem, con-
 citat, & alios finitimos sibi atque illis po-
 pulos. Itaque intra paucos dies triginta millia
 peditum, quatuor ferme equitum in Sedeta-
 num agrum, quo editum erat, convenerunt.

II. ROMANI quoque imperatores, L. Len-
 tulus & L. Manlius Acidinus, ne glisceret
 prima negligendo bellum, junctis & ipsi exer-
 citibus, per agrum Aufetanum, hostico tam-
 quam pacato, clementer ductis militibus, ad

fedem hostium pervenere. Trium millium spatio procul a castris eorum posuerunt castra. Primo per legatos nequidquam tentatum, ut discederetur ab armis. Dein, quum in pabulatores Romanos inpetus repente ab equitibus Hispanis factus esset, submisso ab statione Romana equitatu, proelium equestre fuit, haud sane memorando in partem ullam eventum. Sole oriente, postero die armati instructique omnes mille ferme passus procul a castris Romanis aciem ostendere. Medii Ausetani erant: cornua dextrum Ilergetes, lævum ignobiles tenebant Hispani populi. Inter cornua & mediam aciem intervalla patentia satis late fecerant; qua equitatum, ubi tempus esset, emitterent. Et Romani, more suo exercitum quum instruxissent, id modo hostium imitati sunt, ut inter legiones & ipsi patentes equiti relinquerent vias. Ceterum Lentulus, ei parti usum equitis fore ratus, quæ prior in dehiscentem intervallis hostium aciem equitēs emisisset, Ser. Cornelio tribuno militum imperat, equites per patentes in hostium acie vias permittre equos jubeat: ipse, cœpta parum prospere pedestri pugna, tantum moratus, dum cedenti duodecimæ legioni, quæ

*U. c. 547.
a. C. 205.*

*Acies
Hispano-
rum.*

*Romano-
rum.*

*Acie
prælium.*

U. c. 547.
a. C. 205.

in lævo cornu adversus Ilergetes locata erat, tertiam decimam legionem ex subsidiis in primam aciem firmamentum ducit; postquam æquata ibi pugna est, ad L. Manlium, inter prima signa hortantem, ac subsidia, quibus res postulabat locis, inducentem, venit. Indicat turā ab lævo cornu esse: jam missum ab se Cornelium Servium procella equestri hostes circumfusurum. Vix hæc dicta dederat, quum Romani equites, in medios inveci hostes, simul pedestres acies turbarunt, simul equitibus Hispanorum viam inmittendi equos clauferunt. Itaque, omiſſa pugna equestri, ad pedestrem Hispani descenderunt. Romani imperatores, ut turbatos hostium ordines, & trepidationem pavoremque, & fluctuantia viderunt signa, hortantur, orant milites, « ut » perculſos invadant, neu restitui aciem pantantur. » Non sustinuisſent tam infestum inpetum barbari, ni regulus ipse Indibilis cum equitibus ad pedes degreſſis (a) ante prima signa peditum se objecisset. Ibi aliquamdiu atrox pugna stetit. Tandem postquam ii, qui circa regem, seminecem restantem, deinde pilo terræ adfixum, pugnabant, obruti

*Vincunt
 Romani.*

(a) *degreſſus Gron,*

telis obcubuerunt, tum fuga passim cœpta, *U. c. 547.*
 pluresque cæsi; quia equos conscendendi *a. C. 205.*
 equitibus spatium non fuerat, & quia per-
 culsi acriter institerunt Romani: nec ante
 abscessum est, quam castris quoque exuerunt
 hostem. Tredecim millia Hispanorum cæsa eo
 die, octingenti ferme capti. Romanorum so-
 ciorumque paullo amplius ducenti, maxime
 in lævo cornu, ceciderunt. Pulsi castris Hispa-
 ni, aut qui ex proelio effugerant, sparsi primo
 per agros, deinde in suas quisque civitates
 redierunt.

III. Tum a Mandonio evocati in conci-
 lium, conquestique ibi clades suas, increpitis
 auctoribus belli, legatos mittendos ad arma
 tradenda deditionemque faciendam censuerunt.
 Quibus, culpam in auctorem belli Indibilem,
 ceterosque principes, quorum plerique in acie
 cecidissent, conferentibus, tradentibusque ar-
 ma, & dedentibus sese, responsum est: « In
 » deditionem ita accipi eos, si Mandonium
 » ceterosque belli concitores tradidissent vi-
 » vos: sin minus, exercitus se in agrum Iler-
 » getum Aufetanorumque, & deinceps alio-
 » rum populorum ducturos. » Hæc dicta lega-
 tis, renunciataque in concilium. Ibi Mando-

*Dedunt se
 Hispani.*

*U. c. 547.
a. C. 205.*

*Mando-
nius tradi-
tus ad sup-
plicium.*

*Laelius
classe Afri-
cam popu-
latur.*

*Terror
Carthagi-
nienſium.*

nus ceterique principes comprehenſi & traditi ad ſupplicium. Hiſpaniæ populis reddita pax: ſtipendium ejus anni duplex & frumentum ſex menſium imperatum, ſagaque & togæ exercitui, & obſides ab triginta ferme populis accepti. Ita Hiſpaniæ rebellantis tumultu, haud magno motu, intra paucos dies concito & compreſſo, in Africam omnis terror verſus. C. Lælius nocte ad Hipponem Regium cum acceſſiſſet, luce prima ad populandum agrum ſub ſignis milites ſociosque navales duxit. Omnibus pacis modo incurioſe agentibus, magna clades inlata: nuncii-que trepidi Carthaginem terrore ingenti complevere, claſſem Romanam Scipionemque imperatorem (& fama fuerat jam in Siciliam tranſgreſſum) adveniſſe. Nec quot naves vidiſſent, nec quanta manus agros popularetur, ſatis gnari, omnia in majus, metu augente, accipiebant. Itaque primo terror pavorque, dein (b) mœſtitia animos inceſſit: « tantum for-
» tunam muſtaſſe, ut, qui modo ipſi exerci-
» tum ante mœnia Romana habuiſſent victo-
» res, ſtratisque tot hoſtium exercitibus, om-
» nes Italiæ populos aut vi aut voluntate in

(b) *deinde Gron. Crev.*

» deditionem accepissent ; ii , verso Marte , *U. c. 547.*
 » Africæ populationes & obsidionem Cartha- *a. C. 205.*
 » ginis visuri forent , nequaquam pari ad pa-
 » tienda ea robore , ac Romani fuissent. Illis
 » Romanam plebem , illis Latium juventutem
 » præbuisse ; majorem semper frequentio-
 » rem. Sue pro tot cæsis exercitibus subolescen-
 » tem. Sue plebem inbellem in urbe , in
 » bellem in agris esse. Mercede parari auxilia
 » ex Afris , gente ad omnem auram spei mo-
 » bili atque infida. Jam reges , Syphacem post
 » conloquium cum Scipione alienatum ;
 » Masinissam aperta defectione infestissimum
 » hostem. Nihil auxilii esse. Nec Magonem ex
 » Gallia movere tumultus quidquam , nec
 » conjungere sese Hannibali : & Hannibalem
 » ipsum jam & fama senescere , & viribus. »

IV. In hæc deslenda prolapsos ab recenti
 nuncio animos rursus terror instans revocavit
 ad consultandum , quonam modo obviam præ-
 sentibus periculis iretur. Delectus raptim in
 urbe agrisque haberi placet , mittere ad condu-
 cenda Afrorum auxilia , munire urbem , frumen-
 tum convehere , tela , arma parare , instruere
 naves ac mittere ad Hipponem adversus Ro-
 manam classem. Jam hæc agentibus nuncius

*Adpara-
tus.*

*U. c. 547.
a. C. 205.*

tandem venit, Lælium, non Scipionem, copiasque, quantæ ad incurfiones agrorum, satis sint, transvectas; summæ belli molem adhuc in Sicilia esse. Ita respiratum, mittique ad Syphacem legationes, aliosque regulos, firmandæ societatis causâ, cœptæ. Ad Philippum quoque missi, qui ducenta argenti talenta pollicerentur, ut in Siciliam aut in (c) Italiam trajiceret. Missi & (d) ad duos imperatores in Italiam, ut omni terrore Scipionem retinerent: ad Magonem non legati modo, sed viginti quinque naves longæ, sex millia peditum, octingenti equites, septem elephanti, ad hoc magna pecunia ad conducenda auxilia, quibus fretus propius urbem Romanam exercitum admoveret, conjungeretque se Hannibali. Hæc Carthagine parabant agitabantque. Ad Lælium prædas ingentes ex agro inermi ac nudo præfidiis agentem Masinissa, fama Romanæ classis excitus, cum equitibus paucis venit. Is « segniter rem » agi ab Scipione questus, quod tum non jam » exercitum in Africam trajecisset, percussis » Carthaginienfibus, Syphace inpedito finitimis bellis: quem incertum hædere; si » spa-

*Masinissa
ad Lælium
venit.*

(c) in del. Gron. Crev. (d) & del. Gron.

» spatium ad sua, ut velit, componenda de-
 » tur, nihil sincera fide cum Romanis actu-
 » rum. Hortaretur, ac stimularet Scipionem,
 » ne cessaret. Se, quamquam regno pulsus
 » esset, cum haud contemnendis copiis ad-
 » futurum peditum equitumque. Nec ipsi
 » Lælio morandum in Africa esse. Classem
 » credere profectam a Carthagine, cum qua,
 » absente Scipione, non satis tutum esse
 » contrahi certamen.»

U. c. 547.

a. C. 205.

V. AB hoc sermone dimisso Masinissa,
 Lælius postero die naves præda onustas ab
 Hippone solvit, reiectusque in Siciliam man-
 data Masinissæ Scipioni exposuit. Eisdem fer-
 me diebus naves, quæ ab Carthagine ad Ma-
 gonem missæ erant, inter Albingaunos Li-
 gures Genuamque accefferunt. In iis locis tum
 forte Mago tenebat classem: qui, legatorum
 auditis verbis, jubentium exercitus, quam
 maximos comparare, ex templo Gallorum &
 Ligurum (namque utriusque gentis ingens
 ibi multitudo erat) concilium habuit: « &
 » missum se ad eos vindicandos in libertatem,
 » [ait] &, ut ipsi cernant, mitti sibi ab do-
 » mo præsidia: sed, quantis viribus, quanto
 » exercitu id bellum geratur, in eorum

*Oratio
 Magonis
 ad
 Gallos
 &
 Ligures.*

Tom. VII.

B

U. c. 547.
a. C. 205.

» potestate esse. Duos exercitus Romanos,
» unum in Gallia, alterum in Etruria esse.
» Satis scire, Sp. Lucretium se cum M. Livio
» juncturum. Multa millia ipsis etiam arman-
» da esse, ut duobus ducibus, duobus exer-
» citibus Romanis resistatur. » Galli, « sum-
Respon-
sum
Gallorum. » mam ad id suam voluntatem esse, » dicere :
» sed, quum una castra Romana intra fines,
» altera in finitima terra Etruria prope in
» conspectu habeant, si palam fiat auxiliis
» adjutum ab sese Pœnum, extemplo infestos
» utrimque exercitus in agrum suum incurfu-
» ros. Ea ab Gallis desideraret, quibus occulte
» adjuvari posset. Liguribus, quod procul agro
» urbibusque eorum castra Romana sint,
» libera consilia esse. Illos armare juventutem,
» & capeffere pro parte bellum, æquum esse. »

Ligurum. Ligures haud abnuere : tempus modo duorum
mensium petere ad delectus habendos. Interim
Mago milites, Gallis dimissis, clam per agros
eorum mercede conducere. Commeatus quo-
que omnis generis occulte ad eum a Gallis po-
pulis mittebantur. M. Livius exercitum Volo-
num ex Etruria in Galliam traducit : junctusque
Lucretio, si se Mago ex Liguribus propius
urbem moveat, obviam ire parat : si Pœnus

sub angulo Alpium quierus se contineat, & ipse in eadem regione circa Ariminum Italiae praesidio futurus.

U. C. 547.
a. C. 205.

VI. Post reditum ex Africa C. Laelii, & Scipione stimulado Masinissae adhortationibus, & militibus, praedam ex hostium terra cernentibus tota classe efferri, accensis ad trahendum quam primum, intervenit majori minor cogitatio, Locros urbem recipiendi, quae sub defectionem Italiae desciverat & ipsa ad Pœnos. Spes autem adfectandae ejus rei ex minima re adfulsit. Latrociniiis magis, quam justo bello, in Brutiis gerebantur res; principio ab Numidis facta, & Brutiis, non societate magis Punica, quam suo pte ingenio, congruentibus in eum morem. Postremo Romani quoque, jam contagione quadam rapti gaudentes, quantum per duces licebat, excursions in hostium agros facere. Ab iis egressi quidam urbem Locrenses circumventi, Rhegiumque abstracti fuerant. In eo captivorum numero fabri quidam fuere, adfueri forte apud Pœnos mercede opus in arce Locrorum facere. Ii, cogniti ab Locrensiu principibus, qui pulsi ab adversa factione, quae Hannibali Locros tradiderat, Rhegium se contulerant,

Locri
recepti

U. c. 547.
a. C. 205.

quum cetera percunctantibus, (ut mos est, qui diu absunt) quæ domi agerentur, exposuissent, spem fecerunt, si redempti ac remissi forent, arcem se iis tradituros. Ibi se habitare, fidemque sibi rerum omnium inter Carthaginienfes esse. Itaque, ut qui simul desiderio patriæ angerentur, simul cupiditate inimicos ulciscendi arderent, redemptis extemplo iis remissisque, quum ordinem agendæ rei composuissent, signaque, quæ procul edita observarent, ipsi ad Scipionem Syracusas profecti, apud quem pars exsulum erat, referentes ibi promissa captivorum, quum spem ab effectu haud abhorrentem consuli fecissent; tribuni militum cum iis M. Sergius & P. Matienus missi, iussique ab Rhegio tria millia militum Locros ducere: & Q. Plemio prætori scriptum, ut rei agendæ adesset. Profecti ab Rhegio, scalas ad editam altitudinem arcis fabricatas portantes, media ferme nocte ex eo loco, unde convenerat, signum dedere proditoribus arcis. Qui parati intentique, & ipsi scalas ad id ipsum factas cum demississent, pluribusque simul locis scandentes accepissent, priusquam clamor oriretur, in vigiles Pœnorum, ut in nullo tali metu, sopitos

inpetus est factus : quorum gemitus primo morientium exauditus ; deinde subita consternatio ex somno & tumultus quum causa ignoraretur ; postremo certior res , aliis excitantibus alios. Jamque ad arma pro se quisque vocabat : « hostes in arce esse , & cædi vigiles. » Obpressique forent Romani , nequam numero pares , ni clamor , ab iis , qui extra arcem erant , sublatus , incertum , unde accidisset , (omnia vana augente nocturno tumultu) fecisset. Itaque velut plena jam hostium arce territi Pœni , omisso certamine , in alteram arcem (duæ sunt haud multum inter se distantes) confugiunt. Oppidani urbem habebant , victoribus præmium in medio positam. Ex arcibus duabus præliis quotidie levibus certabatur. Q. Pleminius Romano , Hamilcar Punico præsidio præerat : arcessentes (e) ex propinquis locis subsidia copias augebant. Ipse postremo veniebat Hannibal : nec sustinuissent Romani , nisi Locrensi multitudo , exacerbata superbia atque avaritia Pœnorum , ad Romanos inclinasset.

VII. SCIPIONI ut nunciatum est , in majore discrimine Locris rem verti , ipsumque

(e) & arcessentes Gron. Crev.

U. c. 547.
a. C. 205.

Hannibalem adventare; ne præsidium etiam periclitaretur, haud facili inde receptu, & ipse a Messana, L. Scipione fratre in præsidio ibi relicto, quum primum æstu fretum inclinatum est, naves mari secundo misit. Et Hannibal, a Butroto amni (haud procul is ab urbe Locris abest) nuncio præmissio, ut sui luce prima summa vi prælium cum Romanis ac Locrensisibus confererent, dum ipse, averfis omnibus in eum tumultum, ab tergo urbem incautam adgrederetur, ubi luce coeptam invenit pugnam, ipse nec in arcem se includere, turbam locum artum inpediturus, voluit; neque scalas, quibus scanderent muros, adtulerat. Sarcinis in acervum coniectis, quum haud procul muris ad terrorem hostium aciem ostendisset, cum equitibus Numidis circumequitabat urbem, dum scalæ, quæque alia ad obpugnandum opus erant, parantur, ad visendum qua maxime parte adgrederetur. Progreffus ad murum, scorpione icto, qui proximus eum sorte steterat, teritus inde tam periculoso casu, receptui canere quum jussisset, castra procul ab ictu teli communiit. Classis Romana a Messana Locros, aliquot horis die superante, accessit: expositi

omnes e navibus, & ante occasum solis urbem ingressi sunt. Postero die cœpta ex arce a Poenis pugna: & Hannibal, jam scalis aliisque omnibus ad obpugnationem paratis, subibat muros: quum repente in eum, nihil minus quam tale quidquam timentem, patefacta porta erumpunt Romani. Ad ducentos inprovistos, quum invasisent, occidunt. Ceteros Hannibal, ut consulem adesse sensit, in castra recipit: nuncioque misso ad eos, qui in arce erant, ut sibi met ipsi consularent, nocte motis castris abiit. Et qui in arce erant, igni injecto testis, quæ tenebant, ut is tumultus hostem moraretur, agmen suorum fugæ simili cursu ante noctem adsecuti sunt.

VIII. SCIPIO, ut & arcem relictam ab hostibus & vacua vidit castra, vocatos ad concionem Locrenses graviter ob defectionem inculpavit: de auctoribus supplicium sumsit, bonaque eorum alterius factionis principibus, ob egregiam fidem adversus Romanos, concessit. « Publice nec dare, nec eripere se quidquam Locrensibus, » dixit, « Romam mitterent legatos: quam senatus æquum censuisset, eam fortunam habituros. Illud satis scire, etsi male de populo Romano meriti

U. c. 547. » essent , in meliore statu sub iratis Romanis
a. C. 205. » futuros , quam sub amicis Carthaginiensi-

Pleminius » bus fuerint. » Ipse , Q. Pleminio legato
Præf. Locris crudeliter se gerit. præsidioque , quod arcem ceperat , ad tuendam urbem relicto , cum quibus venerat copiis , Messanam trajecit. Ita superbe & crudeliter habiti Locrenses ab Carthaginiensibus post defectionem ab Romanis fuerant , ut modicas injurias non æquo modo animo pati , sed prope lubenti possent. Verum enimvero tantum Pleminius Hamilcarem præsidii præfectum , tantum præsidarii milites Romani Poenos scelere atque avaritia superaverunt , ut non armis , sed vitiis videretur certari. Nihil omnium , quæ inopi invisas opes potentioris faciunt , prætermissum in Oppidanos est ab duce , aut a militibus : in corpora ipsorum , in liberos , in conjuges infandæ contumeliæ editæ. Nam avaritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit : nec alia modo templa violata , sed Proserpinæ etiam , intacti omni ætate , thesauri ; præterquam quod a Pyrrho , qui cum magno piaculo sacrilegii sui manubias retulit , spoliati dicebantur. Ergo sicut ante regiæ naves , laceratæ naufragiis , nihil in terra mintegri , præter sacram pecu-

*Ejus
 avaritia.*

niam Deæ, quam asportabant, extulerant; *U. c. 547.*
 tum quoque alio genere cladis eadem illa *a. C. 205.*
 pecunia omnibus contactis ea violatione tem-
 pli furorem objecit, atque inter se ducem
 in ducem, militem in militem rabie hostili
 vertit.

IX. SUMMÆ rei Pleminius præerat: mili-
 tum pars sub eo, quam ipse ab Rhegio abdu-
 xerat, pars sub tribunis erat. Rapto poculo
 argenteo ex oppidani domo Pleminii miles
 fugiens, sequentibus quorum erat, obuius
 forte Sergio & Matieno tribunis militum
 fuit. Cui quum jussu tribunorum ademptum
 poculum esset, jurgium inde & clamor, pu-
 gna postremo orta inter Pleminii milites,
 tribunorumque; ut suis quisque obportunus
 advenerat, multitudine simul ac tumultu cre-
 scente. Victi Pleminii milites quum ad Ple-
 minium, cruorem ac vulnera ostentantes, non
 sine vociferatione atque indignatione concu-
 rissent, probra in eum ipsum jactata in jur-
 giis referentes; accensus ira domo sese pro-
 ripuit, vocatosque tribunos nudari, ac virgas
 expediri jubet. Dum spoliandis iis (repugna-
 bant enim, militemque inplorabant) tempus
 teritur, repente milites, feroces recenti victo-

*Pugna
 inter
 milites
 Rom.*

U. l. 547.
a. C. 205.

*Pleminius
hostiliter
laceratus.*

*A Scipione
absolvitur.*

*Tribunos
crudeliter
occidit.*

ria, ex omnibus locis, velut adversus hostes ad arma conclamatum esset, concurrerunt: &, quum violata jam virgis corpora tribunorum vidissent, tum vero in multo inpotentiorum subito rabiem accensi, sine respectu, non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum inpetum, lictoribus prius indignum in modum mulcatis, faciunt. Tum ipsum, ab suis interceptum & seclusum, hostiliter lacerant, & prope exsanguem, naso auribusque mutilatis, relinquunt. His Messanam nunciatis, Scipio, post paucos dies Locros hexeri advectus, quum causam Pleminii & tribunorum audisset, Pleminio noxa liberato, relictoque in ejusdem loci præsidio, tribunis fontibus judicatis, & in vincula coniectis, ut Romam ad senatum mitterentur, Messanam atque inde Syracusas rediit (f). Pleminius inpotens iræ, neglectam ab Scipione & nimis leviter latam suam injuriam ratus, nec quemquam æstimare alium eam litem posse, nisi qui atrocitatem ejus patiendo sensisset, tribunos adtrahi ad se jussit; laceratosque omnibus, quæ pati corpus ullum potest, supplicii interfecit: nec satiatus vivorum poena,

(f) redit Gron. Crev.

insepultos projecit. Simili crudelitate & in Locrensiū principes est usus, quos ad conquerendas injurias ad P. Scipionem profectos audivit : &, quæ antea per libidinem atque avaritiam fœda exempla in socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere, infamiæque atque invidiæ non sibi modo, sed etiam imperatori, esse.

X. JAM comitiorum adpetebat tempus, quum P. Licinii consulis literæ Romam adlatæ, « se » exercitumque suum gravi morbo adfectari : *Licinii exercitus morbo adfectus.*
 » nec fisti potuisse, ni eadem vis mali, aut
 » gravior etiam, in hostes ingruisset. Itaque,
 » quoniam ipse venire ad comitia non posset,
 » si ita Patribus videretur, se Q. Cæcilium
 » Metellum dictatorem comitiorum causa dic-
 » turum. Exercitum Q. Cæcilii dimitti, e
 » republica esse. Nam neque usum ejus ullum
 » in præsentia esse, quum Hannibal jam in
 » hiberna suos receperit ; & tanta incesse-
 » rit in ea castra vis morbi, ut, nisi mature di-
 » mittantur, nemo omnium superfuturus vi-
 » deatur. » Ea consuli a Patribus facienda, ut
 e republica fideque sua duceret, permissa.
 Civitatem eo tempore repens religio invase-
 rat, invento carmine in libris Sibyllinis, *Oraculum Sibyllinum.*

*U. c. 547.
a. C. 205.*

*Delphi-
cum.*

propter crebrius eo anno de cœlo lapidatum inspectis. « Quandoque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si mater Idæa a Pessinunte Romam advecta foret. » Id carmen ab decemviris inventum eo magis Patres movit, quod & legati, qui donum Delphos portaverant, referebant, & sacrificantes ipsos Pythio Apollini litavisse, & responsum oraculo editum, majorem multo victoriam, quam cujus ex spoliis dona portarent, adesse populo Romano. In ejusdem spei summam conferebant P. Scipionis velut præfagientem animum de fine belli, quod depoposcisset provinciam Africam. Itaque quo maturius fatis, ominibus, oraculisque portendentis sese victoriæ compotes fierent, id cogitare, quæ ratio transportandæ Romam Deæ esset.

*Mater
Idæa ex
Asia peti-
tur.*

XI. NULLASDUM in Asia civitates socias habebat populus Romanus. Tamen memores, Æsculapium quoque ex Græcia quondam, haudum ullo fœdere sociata, valetudinis populi causa arcessitum: & jam cum Attalo rege, propter commune adversus Philippum bellum, cœptam amicitiam esse, facturum eum, quæ possit, populi Romani causa, le-

gatos ad eum decernunt, M. Valerium Lævinum, qui bis consul fuerat, ac res in Græcia gesserat, M. Cæcilium Metellum prætorium, Ser. Sulpicium Galbam ædilitium, duos quæstorios, Cn. (g) Tremellium Flaccum, & M. Valerium Faltonem. His quinque naves quinquereμες, ut ex dignitate populi Romani adirent eas terras, ad quas concilianda majestas nomini Romano esset, decernunt. Legati Asiam petentes protinus Delphos quum escendissent, oraculum adierunt, consulentes, ad quod negotium domo missi essent, perficiendi ejus, quam sibi spem populoque Romano portenderet. Responsum esse ferunt, «Per Attalum regem compotes ejus fore, » quod peterent. Quum Romam Deam devexissent, tum curarent, ut eam, qui vir » optimus Romæ esset, hospitio exciperet.» Pergamum ad regem venerunt. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit: sacrumque iis lapidem, quam (h) matrem Deum esse incolæ (i) dicebant, tradidit, ac deportare Romam jussit. Præmissus

U. c. 547.
a. C. 205.

Datur legatis lapis, quam matrem Deum vocabant.

(g) C. Gron. Crev.

(h) quem Gron.

(i) incolæ esse Gron. Crev.

*U. c. 547.
a. C. 205.*

ab legatis M. Valerius Falto nunciavit, Deam adportari : quærendum virum optimum in civitate esse, qui eam rite hospitio exciperet. Q. Cæcilius Metellus, dictator ab consule in Brutiis comitiorum causa dictus, exercitusque ejus dimissus : magister equitum L. Veturius Philo. Comititia per dictatorem habita. Consules facti M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus absens, quum provinciam Græciam haberet. Prætores inde creati, Ti. Claudius Nero, M. Marcius Ralla, L. Scribonius Libo, M. Pomponius Matho. Comititia peractis, dictator sese magistratu abdicavit. Ludi Romani ter, plebei septies instaurati. Curules erant ædiles Cn. & L. Corneli Len- tuli. Lucius Hispaniam provinciam habebat : absens creatus, absens eum honorem gessit. Ti. Claudius Asellus & M. Junius Pennus plebei ædiles fuerunt. Ædem Virtutis eo anno ad portam Capenam M. Marcellus dedicavit, seprimodecimo anno postquam a patre ejus primo consulatu vota in Gallia ad Clastidium fuerat. Et flamen Martialis eo anno est mortuus M. Æmilius Regillus.

*Ætoli
pacem cum
Philippo
faciunt.*

XII. NEGLECTÆ eo biennio res in Græcia erant. Itaque Philippus Ætolos, desertos ab

Romanis, cui uni fidebant auxilio, quibus *U. c. 547.
a. C. 205.*
 voluit conditionibus, ad petendam & pacif-
 cendam subegit pacem. Quod nisi omni vi
 perficere maturasset, bellantem eum cum
 Ætolis P. Sempronius proconsul, successor
 imperii missus Sulpicio, cum decem millibus
 peditum, & mille equitibus, & triginta quin-
 que rostratis navibus (haud parvum momen-
 tum ad opem ferendam sociis) obpressisset:
 Vixdum pace facta, nuncius regi venit, Ro-
 manos Dyrrachium venisse: Parthinosque &
 propinquas alias gentes motas esse ad spem
 novandi res: Dimallumque obpugnari. Eo se
 verterant Romani ab Ætolorum, quo missi
 erant, auxilio, irati, quod sine auctoritate
 sua adversus foedus cum rege pacem fecissent.
 Ea quum audisset Philippus, ne qui motus
 major in finitimis gentibus populisque orire-
 tur, magnis itineribus Apolloniam contendit;
 quo Sempronius se receperat, missio Lætorio
 legato cum parte copiarum & quindecim na-
 vibus in Ætoliam, & ad vitendas res, pacem-
 que, si posset, turbendam. Philippus agros
 Apolloniaticum vastavit, &, ad urbem admo-
 tis copiis, potestatem pugnae Romano fecit.
 Quem postquam quietum muros tantummodo

*U. c. 547.
a. C. 205.*

*Itemque
Romani.*

tueri vidit, nec fatis fidens viribus, ut urbem obpugnaret, & cum Romanis quoque, sicut cum Ætolis, cupiens pacem, si posset: sin minus, inducias facere, nihil ultra inritatis novo certamine odiis, in regnum se recepit. Per idem tempus, tædio diutini belli, Epirotæ, tentata prius Romanorum voluntate, legatos de pace communi ad Philippum misere; satis confidere, conventuram eam, adfirmantes, si ad conloquium cum P. Sempronio imperatore Romano venisset. Facile inpetratum, (neque enim ne ipsius quidem regis abhorrebat animus) ut in Epirum transfret. Phœnice urbs est Epiri: ibi prius conlocutus rex cum Aërope (k), & Darda, & Philippo Epirotarum prætoribus, postea cum P. Sempronio congregitur. Adfuit conloquio & Amynder Athamanum rex, & magistratus alii Epirotarum & Acarnanum. Primus Philippus prætor verba fecit, & petiit simul ab rege & ab imperatore Romano, ut finem belli facerent, darentque eam Epirotis veniam. P. Sempronius conditiones pacis dixit, ut Parthini, & Dimallum, & Bargulum, & Eugenium Romanorum essent. Atintania, si, missis Romam legatis, ab senatu inpetrasset,

(k) *Erope* Gron. Crev.

Macedoni accederet. In eas conditiones quum *U. c. 547.*
 pax conveniret, ab rege foederi adscripti, *a. C. 205.*
 Prusia Bithyniæ rex, Achæi, Bœoti, Thes-
 sali, Acarnanes, Epirotæ: ab Romanis, Ilien-
 ses, Attalus rex, Pleuratus, Nabis Lacedæ-
 moniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athe-
 nienfes. Hæc conscripta consignataque sunt,
 & in duos menses induciæ factæ, donec Ro-
 mam mitterentur legati, ut populus in has
 conditiones pacem juberet. Jusseruntque om-
 nes tribus: quia, verso in Africam bello,
 omnibus aliis in præsentia levare volebant
 bellis (1). P. Sempronius, pace facta, ad con-
 sulatum Romam decessit.

XIII. P. SEMPRONIO, M. Cornelio consu- *U. c. 548.*
 libus (m) (quintusdecimus is annus Punici *a. C. 204.*
 belli erat) provinciæ, Cornelio Etruria cum
M. Corne-
 vetere exercitu, Sempronio Bruttii, ut novas *lio, P.*
Sempronio
 scriberet legiones, decretæ. Prætoribus, M. *Coss.*
Provincia.
 Marcio urbana, L. Scribonio Liboni peregrina,
 & eidem Gallia, M. Pomponio Mathoni Sici-
 lia, Ti. Claudio Neroni Sardinia evenit. P.
 Scipioni cum eo exercitu, cum ea classe,

(1) *bellis volebant Gron. Crev.*

(m) *M. Cornelio, P. Sempronio consulibus Gron. Crev.*

Tom. VII.

C

U. c. 548.
a. C. 204.

quam habebat, prorogatum in annum imperium est. Item P. Licinio, ut Bruttios cum duabus legionibus obtineret, quoad eum in provincia cum imperio morari consuli e republica visum esset. Et M. Livio, & Sp. Lucretio, cum binis legionibus, quibus adversus Magonem Galliae praesidio fuissent, prorogatum imperium est. Et Cn. Octavio, ut, cum Sardiniam legionemque Ti. Claudio tradidisset, ipse navibus longis quadraginta maritimam oram, quibus finibus senatus censuisset, tutaretur. M. Pomponio praetori in Sicilia Cannensis exercitus duae legiones decretae. T. Quinctius Tarentum, C. Hostilius Tubulus Capuam, proprætores, sicut priore anno, cum veteri uterque praesidio, obtinerent. De Hispaniae imperio, quos in eam provinciam duos proconsules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes tribus eisdem, L. Cornelium Lentulum & L. Manlium Acidinum, proconsules, sicut priore anno tenuissent, obtinere eas provincias iusserunt. Consules delectum habere instituerunt, & ad novas scribendas in Bruttios legiones, & in ceterorum (ita enim iussi ab senatu erant) exercituum supplementum.

XIV. QUAMQUAM nondum aperte Africa *U. c. 548.*
a. C. 204.
 provincia decreta erat, (occultantibus id, credo, Patribus, ne præsciscerent (n) Carthaginienses) tamen in eam spes erecta civitas erat, in Africa eo anno debellatum iri, finemque bello Punico adesse. Impleverat ea res superstitionum animos, pronique & ad nuncianda, & ad credenda prodigia erant: eo *Prodigia.*
 plura vulgabantur. « Duos soles visos: &
 » nocte interluxisse: & facem Setiæ ab ortu
 » solis ad occidentem porrigi visam. Tarraci-
 » næ portam, Anagninæ & portam & multis
 » locis murum de cœlo tactum. In æde Juno-
 » nis Sospitæ Lanuvii cum horrendo fragore
 » strepitum editum. » Eorum procurandorum
 causa diem unum supplicatio fuit: & novem-
 diale sacrum, quod de cœlo lapidatum esset,
 factum. Eo accessit consultatio de matre Idæa
 accipienda, quam præterquam quod M. Vale-
 rius, unus ex legatis prægressus, actutum
 in Italia fore nunciaverat, recens nuncius
 aderat, Tarracinæ jam esse. Haud parvæ rei
 iudicium senatum tenebat, qui vir optimus
 in civitate esset. Veram certe victoriam ejus
 rei sibi quisque mallet, quam ulla imperia

(n) rescirent Gron.

*U. c. 548.
a. C. 204.*

*P. Scipio
judicatus
vir
optimus.*

*Obviam it
Matri
Deum cum
Matronis.*

honoresve, suffragio seu Patrum, seu plebis delatos. P. Scipionem, Cn. filium, ejus qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum quæstorium, judicaverunt in tota civitate virum honorum optimum esse. Id quibus virtutibus inducti ita judicant, sicut proditum a proximis memoriæ temporum illorum scriptoribus libens posteris traderem; ita meas opiniones, conjectando rem vetustate obrutam, non interponam. P. Cornelius cum omnibus matronis Ostiam ire jussus obviam Deæ, isque eam de nave accipere, & in terram elatam tradere ferendam matronis. Postquam navis ad ostium amnis Tiberini accessit (o), sicut erat jussus, in salum nave evehctus, ab sacerdotibus Deam accepit, extulitque in terram. Matronæ primores civitatis, inter quas unius Claudiae Quintæ insigne est nomen, accipere: cui dubia (ut traditur) antea fama clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Eæ per manus, succedentes deinceps aliæ aliis, omni effusa civitate obviam, thuribulis ante januas positis, qua præferebatur, atque accenso (p)

(o) accessisset Gron.

(p) incenso Gron. Crev.

thure, precantibus, ut volens propitiæque *U. c. 548.*
urbem Romanam iniret, in ædem victoriæ, *a. C. 204.*
quæ est in Palatio, pertulere Deam pridie
Idus Aprilis; isque dies festus fuit. Populus
frequens dona Deæ in Palatium tulit, lecti-
sterniumque & ludi fuere, Megalesia adpellata. *Megalesia*

XV. QUUM de supplemento legionum,
quæ in provinciis erant, ageretur; « tempus
» esse, » a quibusdam senatoribus subiectum
est, « quæ dubiis in rebus utcumque tole-
» rata essent, ea, demto jam tandem Deum
» benignitate metu, non ultra pari. » Erectis
expectatione Patribus, subjecerunt: « colo-
» nias Latinas duodecim, quæ Q. Fabio &
» Q. Fulvio consulibus abnuissent milites
» dare, eas annum jam ferme sextum vaca-
» tionem militiæ, quasi honoris & beneficii
» causa, habere: quum interim boni obe-
» dientesque focii, pro fide atque obsequio
» in populum Romanum (q), continuis om-
» nium annorum delectibus exhausti essent. »
Sub hanc vocem non memoria magis Pa-
tribus renovata rei prope jam oblitteratæ,
quam ira inritata est. Itaque, nihil prius re-
ferre consules passi, decreverunt, « ut con-
(q) in populum Romanum l. imperii Romani Gron.

U. c. 548. » fules magistratus denosque principes Nepe-
a. C. 205. » te, Sutrio, Ardea, Calibus, Alba, Car-
S. C. de » feolis, Sora, Sueffa, Setia, Circeiis, Nar-
coloniis » nia, Interamna, [eæ namque coloniæ in
quæ milites » ea caussa erant] Romam excirent : iis im-
non » perarent, quantum quæque earum colonia-
dederant. » rum militum plurimum dedisset populo
 » Romano, ex quo hostes in Italia essent,
 » duplicatum ejus summæ numerum peditum
 » daret, & equites centenos vicanos. Si qua
 » eum numerum equitum explere non posset,
 » pro equite uno tres pedites liceret dare :
 » pedites equitesque quam locupletissimi le-
 » gerentur, mitterenturque, ubicumque ex-
 » tra Italiam supplemento opus esset. Si qui
 » ex iis recusarent, retineri ejus coloniæ
 » magistratus legatosque placere : neque, si
 » postularent, senatum dari, priusquam impe-
 » rata fecissent. Stipendium præterea iis co-
 » loniis in millia æris asses singulos imperari
 » exigique quotannis : censumque in iis co-
 » loniis agi ex formula ab Romanis cenfori-
 » bus data. Dari autem placere eandem, quam
 » populo Romano : deferrique Romam ab
 » juratis censoribus coloniarum, priusquam
 » magistratu abirent. » Ex hoc senatuscon-

sulto, aditis Romam magistratibus primoribusque earum coloniarum, consules quum militem stipendiumque imperassent, alii aliis magis recusare ac reclamare : negare « tantum militum effici posse : vix, si simplum » ex formula imperetur, enisuros. » Orare atque obsecrare, « ut sibi, senatum adire ac » deprecari liceret. Nihil se, quare perire » merito deberent, admisisse : sed, si pereundum etiam foret, neque suum delictum, » neque iram populi Romani, ut plus militum darent, quam haberent, posse efficere. » Consules obstinati manere legatos Romæ jubent; magistratus ire domos ad delectus habendos. Nisi summa militum, quæ imperata esset, Romam adducta, neminem iis senatum daturum. Ita præcisa spe senatum adeundi deprecandique, delectus in iis duodecim coloniis, per longam vacationem numero juniorum aucto, haud difficulter est perfectus.

XVI. ALTERA item (r) res, prope æque longo neglecta silentio, relata a M. Valerio Lævino est. Qui, « privatis conlatas pecunias, se ac M. Claudio consulibus, reddi

U. 6. 548.
a. C. 204.

Privatis
jubetur
reddi
conlatas
pecunias

(r) itidem Gron. Crev.

U. c. 548. » tandem, æquum esse dixit. » Nec mirari
a. C. 204.

» quemquam debere, in publica obligata fide
 » suam præcipuam curam esse. Nam, præter-
 » quam quod aliquid proprie ad consulem ejus
 » anni, quo conlatæ pecuniæ essent, perti-
 » neret, etiam se auctorem ita conferendi
 » fuisse, inopi ærario, nec plebe ad tributum
 » subficiente.» Grata ea Patribus admonitio
 fuit: jussisque referre consulibus, decreve-
 runt, «ut tribus pensionibus ea pecunia sol-
 » veretur: primam præsentem ii, qui tum
 » essent, duas terrii & quinti consules nu-
 » merarent.» Omnes deinde alias curas una
 occupavit, postquam Locrensiū clades, quæ
 ignoratæ ad eam diem fuerant, legatorum
 adventu vulgatæ sunt. Nec tam Q. Pleminii
 scelus, quam Scipionis in eo aut ambitio
 aut negligentia iras hominum inritavit. De-
 cem legati Locrensiū, obsiti squalore &
 sordibus, in comitio sedentibus consulibus
 velamenta supplicum, ramos oleæ, (ut Græ-
 cis mos est) porrigentes, ante tribunal cum
 flebili vociferatione humi procubuerunt. Qua-
 rentibus consulibus «Locrenses se dixerunt
 » esse, ea passos a Q. Pleminio legato Ro-
 » manisque militibus, quæ pati ne Carthagi-

*Locren-
 siū
 Legati.*

„nientes quidem velit populus Romanus. *U. c. 548.*
 „Rogare, ut sibi Patres adeundi, deploran- *a. C. 20.*
 „dique ærumnas suas potestatem facerent.”

XVII. SENATU dato, maximus natu ex iis:

“ Scio (s), quantum æstimentur nostræ apud
 „ vos querelæ, Patres conscripti, plurimum
 „ in eo momenti esse, si probe sciatis, &
 „ quomodo prodicti Locri Hannibali sint, &
 „ quomodo, pulso Hannibalis præsidio, resti-
 „ tuti in ditionem vestram. Quippe si & culpa
 „ defectionis procul a publico consilio absit,
 „ & reditum in vestram ditionem adpareat,
 „ non voluntate solum, sed ope etiam ac
 „ virtute nostra; magis indignemini, bonis
 „ ac fidelibus sociis tam atroces atque indignas
 „ injurias ab legato vestro militibusque fieri.
 „ Sedego causam utriusque defectionis nostræ
 „ in aliud tempus differendam arbitror esse,
 „ duarum rerum gratia: unius, ut coram P.
 „ Scipione, qui Locros recepit, omnium no-
 „ bis recte perperamque factorum testis, aga-
 „ tur; alterius, quod, qualescumque sumus,
 „ tamen hæc, quæ passi sumus, pati non de-
 „ buimus. Non possumus dissimulare, Patres
 „ conscripti, nos, quum præsidium Punicum

*Eorum
 oratio
 deploran-
 tium
 fortunas
 suas.*

(s) infer. inquit Gron. Crev.

*U. c. 548.
a. C. 204.*

» in arce nostra haberemus , multa fœda &
» indigna , & a præfecto præsidii Hamilcare,
» & ab Numidis Afrisque passos esse. Sed quid
» illa sunt , conlata cum iis , quæ hodie pa-
» timur ? Cum bona venia , quæso , audiatís,
» Patres conscripti , id , quod invitus dicam.
» In discrimine est nunc humanum omne ge-
» nus , utrum vos , an Carthaginienses prin-
» cipes terrarum (t) videat. Si ex iis , quæ
» Locrenses aut ab illis passi sumus , aut a
» vestro præsidio nunc quum maxime pati-
» mur , æstimandum Romanum ac Punicum
» imperium sit ; nemo non illos sibi , quam
» vos , dominos præoptet. Et tamen videte ,
» quemadmodum Locrenses in vos animati sint.
» Quum a Carthaginiensibus injurias tanto mi-
» nores acciperemus , ad vestrum imperatorem
» confugimus : quum a vestro præsidio plus-
» quam hostilia patiamur , nusquam alio , quam
» ad vos , querelas detulimus. Aut vos respicie-
» tis perditas res nostras , Patres conscripti ,
» aut ne ab Diis quidem immortalibus quod
» precemur , quidquam superest. Q. Pleminius
» legatus missus est cum præsidio ad reci-
» piendos a Carthaginiensibus Locros , & cum

*Pleminius
homo
sceleratus.*

(t) *terrarum l. orbis terrarum Gron. Crev.*

» eodem ibi relictus est præsidio. In hoc le- *U. c. 548.*
 » gato vestro (dant enim animum ad loquen- *a. C. 204.*
 » dum libere ultimæ miseriæ) nec hominis
 » quidquam est, Patres conscripti, præter
 » figuram & speciem; neque Romani civis,
 » præter habitum, vestitumque, & sonum
 » Latinæ linguæ. Pestis ac bellua inmanis,
 » quales fretum quondam, quo ab Sicilia di-
 » vidimur, ad perniciem navigantium circum-
 » sedisse fabulæ ferunt. At si scelus, libidi-
 » nemque, & avaritiam solus ipse exercere
 » in socios vestros fatis haberet, unam pro-
 » fundam quidem voraginem tamen patientia
 » nostra expleremus. Nunc omnes centurio-
 » nes militesque vestros (adeo in promiscuo
 » licentiam atque improbitatem esse voluit)
 » Pleminius fecit: omnes rapiunt, spoliant,
 » verberant, vulnerant, occidunt: consu-
 » prant matronas, virgines, ingenuos, rap-
 » tos ex complexu parentum. Quotidie capi-
 » pitur urbs nostra, quotidie diripitur; dies
 » noctesque omnia passim mulierum puerorum-
 » que, qui rapiuntur atque asportantur, plo-
 » ratibus sonant. Miretur, qui sciat, quomodo
 » aut nos ad patiendum subficiamus, aut illos,
 » qui faciunt, nondum tantarum injuriarum

*U. c. 548.
s. C. 204.*

» fatietas ceperit. Neque ego exsequi possum;
» nec vobis opera est audire singula, quæ
» passi sumus. Communiter omnia amplectar.
» Nego domum ullam Locris; nego quem-
» quam hominem expertem injuriæ esse; ne-
» go ullum genus sceleris, libidinis, avaritiæ
» superesse, quod in ullo, qui pati potuerit,
» prætermisum sit. Vix ratio iniri potest,
» uter casus civitatis sit detestabilior, quum
» hostes bello urbem cepere, an quum exi-
» tiabilis tyrannus vi atque armis obpres-
» sit. Omnia, quæ captæ urbes patiuntur,
» passi sumus, & quum maxime patimur, Pa-
» tres conscripti; omnia, quæ crudelissimi
» atque inportunissimi tyranni scelera in ob-
» pressos cives edunt, Pleminius in nos, libe-
» rosque nostros, & conjuges, edidit.»

XVIII. UNUM est, de quo nominatim & nos
» queri religio infixæ animis cogat, & vos
» audire; & exsolvere rempublicam vestram
» religione, si ita vobis videbitur, velimus,
» Patres conscripti. Vidimus enim, cum quanta
» ceremonia non vestros solum colatis Deos,
» sed etiam externos accipiatis. Fanum est
» apud nos Proserpinæ, de cujus sanctitate
» templi credo aliquam famam ad vos perve-

» nisse Pyrrhi bello : qui quum , ex Sicilia *U. c. 548.*
 » rediens , Locros classe præterveheretur , *a. C. 204.*
 » inter alia fœda , quæ propter fidem erga
 » vos in civitatem nostram facinora edidit ,
 » thesauros quoque Proserpinæ , intactos ad
 » eam diem , spoliavit : atque ira , pecunia
 » in naves inposita , ipse terra est profectus.
 » Quid ergo evenit , Patres conscripti ? Claf-
 » sis postero die fœdissima tempestate lacerata ,
 » omnesque naves , quæ sacram pecuniam ha-
 » buerunt , in litora nostra ejectæ sunt. Qua
 » tanta clade edoctus tandem Deos esse super-
 » bissimus rex , pecuniam omnem conquiritam
 » in thesauros Proserpinæ referri iussit. Nec
 » tamen illi umquam postea prosperi quid-
 » quam evenit : pulsusque Italia , ignobili
 » atque inhonesta morte , temere nocte in-
 » gressus Argos , obcubuit. Hæc quum au-
 » disse legatus vester , tribunique militum ,
 » & mille alia , quæ non augendæ religionis
 » causâ , sed præsentis Deæ numine sæpe
 » comperta nobis maioribusque nostris , refe-
 » rebantur ; ausi sunt nihilominus sacrilegas
 » admovere manus intactis illis thesauris , &
 » nefanda præda se ipsos ac domos contami-
 » nare suas & milites vestros. Quibus , per ,

U. c. 548.

a. C. 204.

» vos , fidem vestram , Patres conscripti ,
 » priusquam eorum scelus expietis , neque in
 » Italia , neque in Africa quidquam rei gesse-
 » ritis ; ne , quod piaculum commiserunt , non
 » suo solum sanguine , sed etiam publica clade
 » luant . Quamquam ne nunc quidem , Patres
 » conscripti , aut in ducibus , aut in militibus
 » vestris cessat ira Deæ . Aliquoties jam inter
 » se signis conlatis concucurrerunt (u) . Dux
 » alterius partis Pleminius , alterius duo tri-
 » buni militum erant : non acrius cum Car-
 » thaginiensibus , quam inter se ipsi , ferro
 » dimicaverunt . Præbuissemque occasionem
 » furore suo Locros recipiendi Hannibali , ni
 » aditus ab nobis Scipio intervenisset . At ,
 » Hercule , milites contactos sacrilegio furor
 » agit : in ducibus ipsis puniendis nullum
 » Deæ numen adparuit ? Immo ibi præsens
 » maxime fuit . Virgis cæsi tribuni ab legato
 » sunt . Legatus deinde insidiis tribunorum
 » interceptus , præterquam quod toto corpore
 » laceratus , naso quoque auribusque decisis ,
 » exsanguis est relictus : recreatus deinde
 » legatus ex vulneribus , tribunos militum in
 » vincula coniectos , dein verberatos , fervili-
 » busque omnibus suppliciis cruciatos truci-
 » (u) concucurrerunt Gron. Crev.

» dando occidit; mortuos deinde prohibuit *U. c. 548.*
 » sepeliri. Has Dea poenas a templi sui spo- *a. C. 204.*
 » liatoribus habet : nec ante desinet omnibus
 » eos agitare furiis, quam repofita facra pe-
 » cunia in thefauris fuerit. Majores quondam
 » noſtri, gravi Crotonienſium bello, quia
 » extra urbem templum eſt, transferre in ur-
 » bem eam pecuniam voluerunt. Noſtu au-
 » dita ex delubro vox eſt, abſtinerent ma-
 » nus : Deam ſua templa deſenſuram. Quia
 » movendi inde theſauros incuſſa erat reli-
 » gio, muro circumdare templum voluerunt;
 » Ad aliquantum jam altitudinis excitata erant
 » mœnia, quum ſubito conlapſa ruina ſunt.
 » Sed & nunc, & ſæpe alias Dea ſuam ſedem,
 » ſuumque templum aut tutata eſt, aut a vio-
 » latoribus gravia piacula exegit. Noſtras in-
 » jurias nec poteſt, nec poſſit alius ulciſci,
 » quam vos, Patres conſcripti. Ad vos veſtram-
 » que fidem ſupplices confugimus. Nihil noſtra
 » intereſt, utrum ſub illo legato (v), ſub
 » illo præſidio Locros eſſe finatis, an irato
 » Hannibali & Pœnis ad ſupplicium dedatis.
 » Non poſtulamus, ut extemplo nobis, ut de
 » abſente, ut indiſta cauſſa credatis. Veniat,

(v) ſub illo legato del. Gron.

U. c. 548. » coram ipse audiat, ipse diluat. Si quidquam
a. C. 204. » sceleris, quod homo in homines edere po-
 » test, in nos prætermisit; non recusamus,
 » quin & nos omnia eadem iterum, si pati
 » possumus, patiamur; & ille omni divino
 » humanoque liberetur scelere.»

XIX. HÆC quum ab legatis dicta essent,
 quæsisserque ab iis Q. Fabius, detulissentne
 eas querelas ad P. Scipionem; responderunt,
 « missos legatos esse, sed eum belli adparatu
 » occupatum esse: & in Africam aut jam
 » trajecisse, aut intra paucos dies trajecturum.
 » Et, legati gratia quanta esset apud impera-
 » torem, expertos esse: quum, inter eum
 » & tribunos cognita caussa, tribunos in
 » vincula conjecerit; legatum æque fontem,
 » aut magis etiam, in ea potestate reliquerit.»
 Jussis excedere e templo legatis, non Plemi-
 nius modo, sed etiam Scipio, principum ora-
 tionibus lacerari. Ante omnes Q. Fabius,
 natum eum ad conrumpendam disciplinam
 militarem, arguere. « Sic & in Hispania plus
 » prope per seditionem militum, quam bello,
 » amissum. Externo & regio more & indul-
 » gere licentiæ militum, & favire in eos.»
 Sententiam deinde æque truce orationi ad-

jecit.

*Fabii
 sententia
 atrox
 in
 Scipionem.*

jecit. « Pleminium legatum vincitum Romam *U. c. 548.*
 » deportari placere; & ex vinculis caussam *a. C. 2048*
 » d'cere: ac, si verā forent, quæ Locrenses
 » quererentur, in carcere necari, bonaque
 » ejus publicari. P. Scipionem, quod de pro-
 » vincia decessisset injussū senatus, revocari:
 » agique cum tribunis plebis, ut de imperio
 » ejus abrogando ferrent ad populum. Locren-
 » sibus coram senatum respondere; Quas
 » injurias sibi factas quererentur, eas neque
 » senatum, neque populum Romanum factas
 » velle. Viros bonos, sociosque, & amicos
 » eos adpellari: liberos, conjuges, quæque
 » alia erepta essent, restitui: pecuniam, quan-
 » ta ex thesauris Proserpinæ sublata esset,
 » conquiri, duplamque pecuniam in thesauros
 » reponi: & sacrum piaculare fieri, ita ut
 » prius ad collegium pontificum referretur,
 » quod sacri thesauri moti, violati essent,
 » quæ piacula, quibus Diis, quibus hostiis,
 » fieri placeret. Milites, qui Locris essent,
 » omnes in Siciliam transportari: quatuor
 » cohortes sociorum Latini nominis in præ-
 » sidium Locros adduci. » Perrogari eo die
 » sententiæ, accensis studiis pro Scipione &
 » adversus Scipionem, non potuere. Præter

U. c. 548.
a. C. 204.

*Objectus
Scipioni
cultus
licentior.*

Pleminii facinus Locrensiūque cladem, ipsius
etiam imperatoris non Romanus modo, sed
ne militaris quidem cultus jactabatur : « cum
» pallio crepidisque inambulare in gymnasio,
» libellis eum palæstræque operam dare :
» æque segniter molliterque cohortem totam
» Syracusarum amœnitate frui : Carthaginem
» atque Hannibalem excidisse de memoria :
» exercitum omnem licentia corruptum, qua-
» lis Sucrone in Hispania fuerit, qualis nunc
» Locris, fociis magis, quam hosti, metuen-
» dum. »

*Metelli
sententia
de
Scipione.*

XX. HÆC quamquam partim vera, partim
mixta, eoque similia veris jactabantur, vicit
tamen Q. Metelli sententia : qui, de ceteris
Maximo adfensus, de Scipionis causa dissen-
sit. « Qui enim convenire, quem modo ci-
» vitas juvenem admodum (x) recuperandæ
» Hispaniæ delegerit ducem, quem, recepta
» ab hostibus Hispania, ad inponendum Pu-
» nico bello finem creaverit consulem, spe
» destinaverit Hannibalem ex Italia detractu-
» rum, Africam subacturum, eum repente,
» tamquam Q. Pleminium, indicta causa pro-
» pe damnatum, ex provincia revocari : quum

(x) admodum, unum Gron. Crev.

» ea, quæ in se nefarie facta Locrenses que- *U. c. 548.*
 » rentur, ne præfente quidem Scipione *a. C. 204.*
 » facta dicerent, neque aliud, quam patien-
 » tia, aut pudor, quod legato pepercisset
 » insimulari possit? Sibi placere, M. Pompo-
 » nium prætorem, cui Sicilia provincia sorte
 » evenisset, triduo proximo in provinciam
 » proficisci: consules decem legatos, quos
 » iis videretur, ex senatu legere, quos
 » cum prætore mitterent, & duos tribunos
 » plebei (y) atque ædilem. Cum eo confi-
 » lio prætorem cognoscere. Si ea, quæ Lo-
 » crenses facta quererentur, jussu aut volun-
 » tate P. Scipionis facta essent, ut eum de
 » provincia decedere juberent. Si P. Scipio jam
 » in Africam trajecisset, tribuni plebis atque
 » ædilis cum duobus legatis, quos maxime
 » prætor idoneos censuisset, in Africam pro-
 » ficiscerentur: tribuni atque ædilis, qui re-
 » ducerent inde Scipionem: legati, qui exer-
 » citui præessent, donec novus imperator ad
 » eum exercitum venisset. Sin M. Pomponius
 » & decem legati comperissent, neque jussu,
 » neque voluntate P. Scipionis ea facta esse,
 » ut ad exercitum Scipio maneret, bellumque,

(y) plebis Crev.

U. c. 548. » ut proposuisset, gereret. » Hoc facto senatusconsulto, cum tribunis plebis actum est, ut compararent inter se, aut sorte legerent, qui duo cum prætore ac legatis irent. Ad collegium pontificum relatum de expiandis, quæ Locris in templo Proserpinæ tacta, violata, elataque inde essent. Tribuni plebis cum prætore & decem legatis profecti M. Claudius Marcellus & M. Cincius Alimentus : iis ædilis plebis datus, quem, si aut in Sicilia prætori dicto audiens non esset Scipio, aut jam in Africam trajecisset, prendere tribuni juberent, ac jure sacrosanctæ potestatis reducerent. Prius Locros ire, quam Messanam, consilium erat.

XXI. CETERUM duplex fama est, quod ad Pleminium adinet. Alii, auditis, quæ Romæ acta essent, in exilium Neapolim euntem forte in Q. Metellum, unum ex legatis, incidisse, & ab eo Rhegium vi retractum tradunt : alii, ab ipso Scipione legatum cum triginta nobilissimis equitum missum, qui Q. Pleminium in catenas, & cum eo seditionis principes, conjicerent. Ii omnes, seu ante Scipionis, seu tum prætoris jussu, traditi in custodiam Rheginis. Prætor legati que

*Pleminius
in vincula
conjectus.*

Locros profecti primam, sicuti mandatum *U. c. 348.*
 erat, religionis curam habuere. Omnem *a. C. 204.*
 enim sacram pecuniam, quæque apud Pleminium, quæque apud milites erat, conquistam, cum ea quam ipsi secum adtulerant, in thesauris reposuerunt, ac piaculare sacrum fecerunt. Tum vocatos ad concionem milites prætor signa extra urbem efferre jubet, castraque in campo locat, cum gravi edicto, "Si
 " quis miles aut in urbe restitisset, aut se-
 " cum extulisset, quod suum non esset. Lo-
 " crensis se permittere, ut, quod sui quis-
 " que cognosset, prehenderet; si quid non
 " compareret, repeteret. Ante omnia, libera
 " corpora placere sine mora Locrensis resti-
 " tui: non levi defunctorum pœna, qui non
 " restituisset." Locrensis deinde concio-
 nem habuit, atque, "iis libertatem legesque
 " suas populum Romanum senatumque resti-
 " tuere," dixit. "Si qui Pleminium aliumve
 " quem accusare vellet, Rhegium se sequere-
 " tur. Si de P. Scipione publice queri vel-
 " lent, ea, quæ Locris nefarie in Deos ho-
 " minesque facta essent, jussu aut voluntate
 " P. Scipionis facta esse, legatos mitterent
 " Messanam; ibi se cum consilio cogniturum."

U. c. 548.

a. C. 209.

*Locrenses
nolunt*

*Scipionem
accusare.*

Locrenses prætori legatisque, & senatui ac populo Romano gratias egere: « se ad Pleminium accusandum iuros. Scipionem, » quamquam parum injuriis civitatis suæ do- » luerit, eum esse virum, quem amicum sibi, » quam inimicum, malint esse. Pro certo se » habere, neque jussu, neque voluntate P. » Scipionis tot tam nefanda commissa: aut » Pleminio nimium, aut sibi parum creditum. » Natura insitum quibusdam esse, ut magis » peccari nolint, quam satis animi ad vindi- » canda peccata habeant. » Et prætori & consilio haud mediocre onus dentum erat de Scipione cognoscendi. Pleminium, & ad duo & triginta homines cum eo damnaverunt, atque in catenis Romam miserunt: ipsi ad Scipionem profecti sunt, ut ea quoque, quæ vulgata sermonibus erant de cultu ac desidia imperatoris solutaque militiæ disciplina, comperita oculis perferrent Romam.

*Scipio res,
non verba,
ad purgan-
dum se pa-
rat.*

XXII. VENIENTIBUS eis Syracusas, Scipio res, non verba, ad purgandum sese paravit. Exercitum omnem eo convenire, classem expediri jussit, tamquam dimicandum eo die terra marique cum Carthaginien-sibus esset. Quo die venerunt, hospitio comiter acceptis

postero die terrestrem navalemque exercitus, *U. c. 548.*
 non instructos modo, sed hos decurrentes, *a. C. 204.*
 classē in portu, simulacrum & ipsam eden-
 tem navalis pugnae, ostendit: tum circa ar-
 mamentaria & horrea aliumque belli adpara-
 tum visendum praetor legatique ducti. Tanta-
 que admiratio singularum universarumque re-
 rum incussa, ut satis crederent, aut illo duce
 atque exercitu vinci Carthaginiensem popu-
 lum, aut nullo alio posse; juberentque, quod
 Dii bene verterent, trajicere, & spei con-
 ceptae, quo die illum omnes centuriae prio-
 rem consulem dixissent, primo quoque tem-
 pore compotem populum Romanum facere:
 adeoque laetis inde animis profecti sunt;
 tamquam victoriam, non belli magnificum
 adparatum, nuntiaturi Romam essent. Plemi-
 nius, quique in eadem causa erant, postquam
 Romam est ventum, extemplo in carcerem
 conditi, ac primo producti ad populum ab
 tribunis, apud praecipuos Locrensiū cla-
 de animos, nullum misericordiae locum ha-
 buerunt. Postea, quum saepius producerentur,
 jam senescente invidia, moliebantur irae:
 & ipsa deformitas Pleminii memoriaque ab-
 sentis Scipionis favorem ad vulgum concilia-

*Pleminius
 in vinculis
 moritur.*

U. c. 548.
a. C. 204.

bat. Mortuus tamen prius in vinculis est, quam iudicium de eo populi perficeretur. Hunc Pleminium Clodius Licinius in libro tertio rerum Romanarum refert, ludis votivis, quos Romæ Africanus iterum consul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio conruperat, aliquot locis urbem incendere, ut frangendi carceris fugiendique haberet occasionem. Patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum ex senatusconsulto. De Scipione nusquam, nisi in senatu, actum. Ubi omnes legatique & tribuni, classem eam, exercitum, ducemque verbis extollentes, effecerunt, ut senatus censeret, primo quoque tempore in Africam trajiciendum; Scipionique permitteretur, ut ex iis exercitibus, qui in Sicilia essent, ipse legeret, quos in Africam secum trajiceret, quos provinciæ relinqueret præsidio.

XXIII. DUM hæc apud Romanos geruntur, Carthaginienfes quoque, quum, speculis per promontoria omnia positis, percontantes paventesque ad singulos nuncios sollicitam hiemem egissent, haud parvum & ipsi tuendæ Africæ momentum adjecerunt societatem Syphacis regis, cujus maxime fiducia trajectu-

rum in Africam Romanum crediderunt. Erat *U. c. 548.*
 Hasdrubali Gisgonis filio non hospitium modo *a. C. 204.*
 cum rege, de quo ante dictum est, quum ex
 Hispania forte in idem tempus Scipio atque
 Hasdrubal convenerunt ; sed mentio quoque
 inchoata adfinitatis , ut rex duceret filiam
 Hasdrubalis. Ad eam rem consummandam
 tempusque nuptiis statuendum (jam enim &
 nubilis erat virgo) profectus Hasdrubal , ut
 accensum cupiditate (& sunt ante omnes Nu-
 midæ barbaros effusi in Venerem) sensit ,
 virginem ab Carthagine arcessit , maturatque
 nuptias ; & inter aliam grâtionem , ut
 publicum quoque fœdus privato adjiceretur ,
 societas inter populum Carthaginensem re-
 gemque , data ultro citroque fide , eosdem
 amicos inimicosque habituros , jurejurando
 adfirmatur. Ceterum Hasdrubal , memor &
 cum Scipione initæ regi societatis , & quam
 vana & mutabilia barbarorum ingenia essent ,
 veritus , ne , si trajiceret in Africam Scipio ,
 parvum vinculum eæ nuptiæ essent , dum
 accensum recenti amore Numidam habet ,
 perpellit , blanditiis quoque puellæ adhibitis ,
 ut legatos in Siciliam ad Scipionem mittat ,
 per quos moneat eum , « Ne prioribus suis

*Syphax
 ducit
 filiam Has-
 drubalis.*

U. c. 548.

a. C. 204.

*Scipioni
amicitiam
renunciat.*

» promissis fretus in Africam trajiciat. Se &
 » nuptiis civis Carthaginienſis, filiæ Haſdru-
 » balis, quem viderit apud ſe in hoſpitio, &
 » publico etiam ſœdere cum populo Cartha-
 » ginienſi junctum. Optare (b) primum, ut
 » procul ab Africa, ſicut adhuc fecerint, bel-
 » lum Romani cum Carthaginienſibus gerant,
 » ne ſibi intereſſe certaminibus eorum, armaque
 » aut hæc, aut illa, abnuentem alteram ſo-
 » cietatem, ſequi neceſſe ſit. Si non abſtineat
 » Africa Scipio, & Carthagini exercitum ad-
 » moveat, ſibi neceſſarium fore, & pro terra
 » Africa, in qua & ipſe ſit genitus, & pro
 » patria conjugis ſuæ, proque parente ac pe-
 » natibus dimicare.»

XXIV. Cum his mandatis ab rege legati
 ad Scipionem miſſi, Syracuſis eum convene-
 runt. Scipio, quamquam magno momento
 rerum in Africa gerendarum magnaſque ſpe
 deſtitutus erat, legatis propere, priuſquam
 res vulgaretur, remiſſis in Africam, literas
 dat ad regem, quibus etiam atque etiam mo-
 net eum, « Ne jura hoſpitii ſecum, neu cum
 » populo Romano initæ ſocietatis, neu fas,
 » fidem, dextras, Deos teſtes atque arbitros

(b) Hortari Gron.

» conventorum, fallat. » Ceterum, quando
 neque celari adventus Numidarum poterat,
 (vagati enim in urbe, obversatique prætorio
 erant) & , si fileretur, quid petentes veni-
 sent, periculum erat, ne vera eo ipso, quod
 celarentur, sua sponte magis emanarent, ti-
 morque in exercitum (c) incideret, ne simul
 cum rege & Carthaginiensibus foret bellan-
 dum, avertit a vero falsis præoccupando
 mentes hominum. Et, vocatis ad concionem
 militibus, « Non ultra esse cunctandum [ait].
 » Instare, ut in Africam quamprimum traji-
 » ciat, socios reges. Masinissam prius ipsum ad
 » Lælium venisse querentem, quod cunctando
 » tempus tereretur. Nunc Syphacem mittere le-
 » gatos, idem admirantem, quæ tam diuturnæ
 » moræ sit causa: postulantemque, ut aut tra-
 » jiciatur tandem in Africam exercitus, aut, si
 » mutata consilia sint, certior fiat, ut & ipse
 » sibi ac regno suo possit consulere. Itaque,
 » paratis jam omnibus instructisque, & re
 » jam non ultra recipiente cunctationem, in
 » animo sibi esse, Lilybæum classe traducta,
 » eodemque omnibus peditum equitumque
 » copiis contractis, quæ prima dies cursum

U. c. 548.

a. C. 204.

Quam rem
 sedulo dis-
 simulat
 apud mili-
 tes Scipio.

(c) exercitu Gron.

U. t. 548. » navibus daret , Deis bene juvantibus , in
a. C. 204. » Africam trajicere. » Literas ad M. Pom-

It
Lilybæum.

ponium mittit, ut, si ei videretur, Lilybæum
 veniret, ut communiter consulerent, quas
 potissimum legiones (d), & quantum militum
 numerum in Africam trajiceret. Item circum
 oram omnem maritimam misit, ut naves
 onerariæ comprehensæ Lilybæum omnes
 contraherentur. Quidquid militum navium-
 que in Sicilia erat, quum Lilybæum conve-
 nissent, & nec urbs multitudinem hominum,
 nec portus naves caperet, tantus omnibus
 ardor erat in Africam trajiciendi, ut non ad
 bellum duci viderentur, sed ad certa victo-
 riæ præmia. Præcipue, qui superabant ex
 Cannensi exercitu, milites, illo, non alio
 duce, credebant, navata reipublicæ opera,
 finire se militiam ignominiosam posse. Et
 Scipio minime id genus militum adspernaba-
 tur: ut qui neque ad Cannas ignavia eorum
 cladem acceptam sciret, neque ullos æque
 veteres milites in exercitu Romano esse, ex-
 pertosque non variis præliis modo, sed ur-
 bibus etiam obpugnandis. Quinta & sexta
 Cannenses erant legiones. Eas se trajecturum

(d) legiones potissimum Gron. Crev.

LIBER XXIX CAP. XXV 61

in Africam quum dixisset, singulos milites
 inspexit: relictisque, quos non idoneos cre-
 debat, in locum eorum subjecit, quos secum
 ex Italia adduxerat; supplevitque ita eas le-
 giones, ut singulæ sena millia & ducentos
 pedites, trecentos haberent equites: socio-
 rum item Latini nominis pedites equitesque
 de exercitu Cannensi legit.

XXV. QUANTUM militum in Africam trans-
 portatum sit, non parvo numero inter aucto-
 res discrepat. Alibi decem millia peditum,
 duo millia & ducentos equites; alibi sedecim
 millia peditum, mille & sexcentos equites;
 alibi parte plus dimidia rem auctam, quin-
 que & triginta millia peditum equitumque
 in naves inposita invenio. Quidam non adje-
 cere numerum: inter quos me ipse in re
 dubia poni malim. Coelius, ut abstinere nu-
 mero, ita ad inmensum multitudinis speciem
 auget. Volucres ad terram delapsas clamore
 militum ait, tantamque multitudinem conscen-
 disse naves, ut nemo mortalium, aut in Ita-
 lia, aut in Sicilia, relinqui videretur. Mili-
 tes ut in naves ordine ac sine tumultu conscen-
 derent, ipse eam sibi curam sumsit. Nauticos
 C. Lælius, qui classis præfectus erat, in na-
 ves con-

U. c. 548.
 a. C. 204.

Copie na-
 ves con-
 scendunt.

U. c. 548. vibus, ante conscendere coactos, continuè
a. C. 204.

Commeatus inponendi M. Pomponio prætori cura data : quinque & quadraginta dierum cibaria, e quibus quindecim dierum cocta, inposita. Ut omnes jam in navibus erant, scaphas circummisit, ut ex navibus gubernatoresque & magistri navium & bini milites in forum convenirent ad imperia accipiendâ. Postquam convenerunt, primum ab iis quæsit, si aquam hominibus jumentisque in totidem dies, quot frumentum, inposuissent. Ubi responderunt, aquam dierum quinque & quadraginta in navibus esse ; tum edixit militibus, ut silentium quieti nautis sine certamine ad ministeria exsequenda bene obediens præstarent : cum viginti rostratis se ac L. Scipionem ab dextro cornu, lævum totidem rostratas, & C. Lælium præfectum classis cum M. Porcio Catone (quæstor is tum erat) onerariis futurum præsidio. Lumina in navibus singula rostratæ, bina onerariæ haberent : in prætoria nave insigne nocturnum trium luminum fore. Emporia ut peterent, gubernatoribus edixit. Fertilissimus ager, eoque abundans omnium copia rerum est regio, & inbelles (quod plerumque in uberi

(e) agro evenit, barbari sunt : priusque, *U. c. 548.*
 quam Carthagine subveniretur, obprimi vide-
a. C. 204.
 bantur posse. Iis editis imperiis, redire ad
 naves iussi : & postero die, Deis bene juvan-
 tibus, signo dato solvere naves.

XXVI. MULTÆ classes Romanæ e Sicilia
 atque ipso illo portu profectæ erant. Cete-
 rum non eo bello solum, (nec id mirum,
 prædatum enim tantummodo pleræque classes
 ierant) sed ne priore quidem, ulla profectio
 tanti spectaculi fuit. Quamquam si magnitu-
 dine classis æstimaretur, & bini consules
 cum binis exercitibus ante trajecerant ; &
 prope totidem rostratæ in illis classibus fue-
 rant, quot onerariis Scipio tum trajiciebat.
 Nam, præter quadraginta (f) longas naves,
 quadringentis ferme onerariis exercitum trans-
 vexit. Sed & bellum bello, secundum priore,
 ut atrocius Romanis videretur, quum quod
 in Italia bellabatur, tum ingentes strages tot
 exercituum, simul cæsis ducibus, effecerant :
 & Scipio dux, partim factis fortibus, par-
 tim suapte fortuna quadam ingentis ad incre-
 menta gloriæ celebratus, converterat animos;

*Classis
 solvis.*

(e) ubere Gron. Crev.

(f) quinquaginta Gron. Crev.

U. C. 548.
a. C. 204.

simul & mens ipsa trajiciendi, nulli ante eò bello duci tentata, quod ad Hannibalem de-
trahendum ex Italia, transferendumque &
finiendum in Africā bellum, se transire vul-
gaverat. Concurrerat ad spectāculum in por-
tum omnis turba, non habitantium modo
Lilybæi, sed legationum omnium ex Sicilia:
quæ & ad prosequendum Scipionem officii
causā convernerant, & prætorem provinciæ
M. Pomponium securæ fuerant. Ad hoc legio-
nes, quæ in Sicilia relinquebantur, ad pro-
sequendos commilitōnes processerant: nec
classis modo prospectantibus e terra, sed terra
etiam omnis circa referta turba spectāculo
navigantibus erat.

Scipionis
precatio.

XXVII. Ubi influxit, Scípio e prætorii
navē, silentio per præconem factō, « Divi,
» Divæque [inquit] maria (g) terrasque qui
» colitis, vos precor quæsoque, uti, quæ in
» meo imperio gesta sunt, geruntur, postque
» gerentur, ea mihi, populo plebique Roma-
» næ, fociis nominique Latino, qui populi
» Romani, quique meam sectam, imperium,
» auspiciūque terra, mari, amnisque se-
» quuntur, bene verruncet: eaque vos om-
» nia bene juvetis: bonis auctibus auxitis:
(g) qui maria Græcæ, salvos

in fa vos incolumesque victis perduellibus U. c. 548.
a. C. 204.
 » victores, spoliis decoratos, praeda onustos
 » triumphantesque, mecum domos reduces
 » sistatis: inimicorum hostiumque ulciscendo-
 » rum copiam faxitis: quæque populus Car-
 » thaginiensis in civitatem nostram facere mo-
 » litus est, ea ut mihi populoque Romano
 » in civitatem Carthaginiensium exempla
 » edendi facultatem detis. » Secundum eas
 preces cruda exta victimæ, uti mos est (h),
 in mare porricit, tubaque signum dedit pro-
 ficiscendi. Vento secundo vehementi satis
 profecti, celeriter e conspectu terræ ablati
 sunt: & a meridie nebula ocepit, ita ut
 vix concursus navium inter se vitarent. Lenior
 ventus in alto factus. Noctem insequentem
 eadem caligo obtinuit: sole orto est discussa,
 & addita vis vento. Jam terram cernebant.
 Haud ita multo post gubernator Scipioni ait,
 « non plus quinque millia passuum Africam
 » abesse: Mercurii promontorium se cernere.
 » Si jubeat eo dirigi, jam in portu fore om-
 » nem classem. » Scipio, ut in conspectu terra
 fuit, precatus Deos, uti bono reipublicæ, suo-
 que Africam viderit, dare vela, & alium infra
 (h) cruda exta, cæsa victimâ, uti mos, in mare &c.
 Gron. Crev.

*U. c. 548.
a. C. 204*

navibus adcessum petere jubet. Vento eodem ferebantur. Ceterum nebula sub idem ferme tempus, quo pridie, exorta conspectum terræ ademit, & ventus premente nebula cecidit. Nox deinde incertiora omnia fecit. Itaque ancoras, ne aut inter se concurrerent naves, aut terræ inferrentur, jecere. Ubi inluxit, ventus idem coortus, nebula disjecta, aperuit omnia Africæ litora. Scipio, quod esset proximum promontorium, percunctatus, quum Pulchri promontorium id vocari audisset, «Placet omen [inquit]; huc dirigite naves.» Eo classis decurrit: copiæ omnes in terram expositæ sunt. Prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse, permultis Græcis Latinisque auctoribus credidi: Cœlius unus, præterquam quod non merfas fluctibus naves, ceteros omnes cœlestes maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Ægimurum, inde ægre conrectum cursum, exponit: &, prope obrutis navibus, injussu imperatoris, scaphis, haud secus quam naufragos, milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse.

*Terror in
Africa.*

XXVIII. EXPOSITIS copiis, Romani castra in proximis tumulis metantur. Jam non in

LIBER XXIX CAP. XXVIII 67

maritimos modo agros, conspectu primum U. c. 548.
 classis, dein tumultu egredientium in terram a. C. 204.
 pavor terrorque pervenerat, sed in ipsas urbes. Neque enim hominum modo turba, mulierum puerorumque agminibus inmixta, omnes passim compleverat vias, sed pecora quoque præ se agrestes agebant; ut (i) relinquî subito Africam diceres. Urbibus vero ipsis majorem, quam quem secum adtulerant, terrorem inferebant: præcipue Carthaginis prope ut captæ tumultus fuit. Nam post M. Atilium Regulum & L. Manlium consules, annis prope quinquaginta, nullum Romanum exercitum viderant, præter prædatorias classes, quibus exscensiones in agros maritimos factæ erant: raptisque, quæ obvia fors fecerat, prius recursum semper ad naves, quam clamor agrestes conciret, fuerat. Eo major tum fuga pavorque in urbe fuit. Et, Hercule, neque exercitus domi validus, neque dux, quem obponerent, erat. Hasdrubal, Giskonis filius, genere, fama, divitiis, regia tum etiam adfinitate, longe primus civitatis erat: sed eum ab illo ipso Scipione aliquot proeliis fufum pulsumque in Hispania meminerant:

(i) ut del. Gron.

*U. e. 548⁸
a. C. 204*

nec magis ducem duci parem, quam tumultuarium exercitum suum Romano exercitui esse. Itaque, velut si urbem extemplo adgressurus Scipio foret, ita ad arma est conclamatum: portæque raptim clausæ, & armati in muris, vigiliæque & stationes dispositæ, ac nocte insequenti vigilatum est. Postero die quingenti equites, speculatum ad mare turbandosque egredientes ex navibus missi, in stationes Romanorum inciderunt. Jam enim Scipio, classe Uricam missa, ipse haud ita multum progressus a mari, tumulos proximos ceperat; equites & in stationibus locis idoneis posuerat, & per agros miserat prædatum.

*Scipio
agros
populatur,
visito
equitatu
Carthag.*

XXIX. It cum Carthaginienſi equitatu prælium quum commiſſent, paucos in ipſo certamine, plerosque fugientes perſecuti (in quibus præſectum quoque Hannonem, nobilem juvenem) occiderunt. Scipio non agros modo circa vaſtavit, ſed urbem etiam proximam Afrorum ſatis opulentam cepit. Ubi præter cetera, quæ extemplo in naves onerarias inpoſita, miſſaque in Siciliam erant, octo millia liberorum fervorumque capitum ſunt capta. Lætiffimus tamen Romanis in

LIBER XXIX CAP. XXIX 69

principio rerum gerendarum adventus fuit Masinissæ. Quem quidam cum ducentis haud amplius equitibus, plerique cum duum milium equitatu tradunt venisse. Ceterum quum longe maximus omnium ætatis suæ regum hic fuerit, plurimumque rem Romanam juverit, operæ pretium videtur excedere paululum ad enarrandum, quam varia fortuna usus sit in amittendo recuperandoque paterno regno. Militanti pro Carthaginiensibus in Hispania pater ei moritur: Galæ nomen erat. Regnum ad fratrem regis Cælcem, pergrandem natu, (mos ita apud Numidas est) pervenit. Haud multo post, Cælcem quoque mortuo, major ex duobus filiis ejus Capusa, puero admodum altero, paternum imperium accepit. Ceterum quum magis jure gentis, quam auctoritate inter suos aut viribus, obtineret regnum; exstitit quidam, Mezetulus nomine, non alienus sanguine regibus, familiaris semper inimicæ, ac de imperio varia fortuna cum iis, qui tum obtinebant, certantis. Is, concitatis popularibus, apud quos, invidia regum, magnæ auctoritatis erat, castris palam positis, descendere regem in aciem, ac dimicare de regno coëgit. In eo prælio Ca-

U. c. 548.

a. C. 204.

Masinissæ

ad

Romanos
*venit.**Masinissæ*

varia

fortuna.

U. c. 548. pusa cum multis principum cecidit, gens Mas-
a. C. 204. sylorum omnis in ditionem imperiumque Me-
 zetuli concessit. Regio tamen nomine absti-
 nuit; contentusque nomine modico tutoris,
 puerum Lacumacen, qui stirpis regiae super-
 erat, regem adpellat. Carthaginiensem nobi-
 lem feminam, sororis filiam Hannibalis, quæ
 proxime Œfalci regi nupta fuerat, matrimo-
 nio sibi jungit, spe Carthaginiensium socie-
 tatis; & cum Syphace hospitium vetustum
 legatis missis renovat, omnia ea auxilia præ-
 parans adversus Masinissam.

XXX. Et Masinissa, audita morte patruī,
 dein nece fratris patruelis, ex Hispania in
 Mauritaniam (Bocchar ea tempestate rex
 Maurorum erat) trajicit. Ab eo supplex in-
 finis precibus auxilium itineri, quoniam
 bello non poterat, quatuor millia Maurorum
 inpetravit. Cum iis, præmisso nuncio ad pa-
 ternos suosque amicos, quum ad fines regni
 pervenisset, quingenti ferme Numidæ ad eum
 convenerunt. Igitur Mauris inde, sicut con-
 venerat, retro ad regem remissis, quamquam
 aliquanto minor spe multitudo, nec cum qua
 tantam rem adgredi fatis auderet, conveniret;
 rarus agendo ac moliendo vires quoque ad

agendum aliquid coniecturum, proficiscenti ad Syphacem Lacumaci regulo ad Thapsum obcurrit. Trepidum agmen quum in urbem refugisset, urbem Masinissa primo inperu capit: ex regiis alios tradentes se recipit, alios vim parantes occidit. Pars maxima cum ipso puero inter tumultum ad Syphacem, quo primum intenderant iter, pervenerunt. Fama hujus modicæ rei, in principio rerum prospere actæ, convertit ad Masinissam Numidas: adfluebantque undique ex agris vicisque veteres milites Galæ, & invitabant juvenem ad recuperandum paternum regnum. Numero militum aliquantum Mezetulus superabat. Nam & ipse eum exercitum, quo Capusam vicerat, & ex receptis post cædem regis aliquot habebat: & puer Lacumaces ab Syphace auxilia ingentia adduxerat. Quindecim millia peditum Mezetulo, decem millia equitum erant. Quibuscum Masinissa, nequaquam tantum peditum equitumve habens, acie conflixit. Vicit tamen & veterum militum virtus, & prudentia inter Romana & Punica arma exercitati ducis. Regulus cum tutore & exigua Masæfylorum manu in Carthaginensium agrum perfugit. Ita recuperato regno paterno,

*U. c. 548.
a. C. 2040*

*U. c. 548⁸
a. C. 204.*

Masiniſſa, quia ſibi adverſus Syphacem haud paullo majorem reſtare dimicationem cernebat, optimum ratus cum fratre patruſe gratiam reconciliare, miſſis, qui & puero ſpem facerent, ſi in fidem Maſiniſſæ ſeſe permiſſet, futurum in eodem honore, quo apud Galam Œſalces quondam fuiſſet, & qui Mezetulo, præter impunitatem, ſua omnia cum fide reſtitui ſponderent; ambo præoptantes exſilio modicam domi fortunam (omnia, ne id fieret, Carthaginienſibus de induſtria agentibus) ad ſeſe perduxit.

*Syphacem
Haſdruba'
in Maſi-
niſſam in-
ſtigat.*

XXXI. HASDRUBAL tum forte, quum hæc gerebantur, apud Syphacem erat. Qui Numidæ haud ſane multum ad ſe pertinere credenti, utrum penes Lacumacen, an Maſiniſſam, regnum Maſſylorum (*k*) eſſet, « falli eum magnopere [*ait*] ſi Maſiniſſam eiſdem contentum fore, quibus patrem Galam, aut patruum ejus Œſalcem, credat, multo majorem indolem in eo animi ingeniiſque eſſe, quam in ullo gentis ejus umquam fuiſſet. Sæpe eum in Hiſpania raræ inter homines virtutis ſpecimen dediſſe fociiſque riter hoſtibusque: & Syphacem, & Cartha-

(*k*) *Maſſylorum Gron. Crev. ita & in ſeqq.*

»ginientes, nisi orientem illum ignem ob- U. c. 548.
 »pressissent, ingenti mox incendio, quum jam a. C. 204.
 »nullam opem ferre possent, arfuros. Ad-
 »huc teneras & fragiles ejus vires esse, vix-
 »dum coalescens fœventis regnum. » Instan-
 do stimulandoque pervincit, ut exercitum ad
 fines Massylorum admoveat; atque in agro,
 de quo sæpe cum Gala non verbis modo
 disceptatum, sed etiam armis certatum fue-
 rat, tamquam haud dubie juris sui, castra
 locet. « Si quis arceat, id (l) quod maxime
 » opus sit, acie dimicaturum (m) : sin per
 » metum agro cedatur, in medium regnum
 » eundum : aut sine certamine concessuros
 » in ditionem ejus Massylos, aut nequaquam
 » pares futuros armis. » His vocibus incita-
 tus Syphax Masinissæ bellum infert, & primo
 certamine Massylos fundit fugatque. Masi-
 nissa cum paucis equitibus ex acie in montem
 (Balbum incolæ vocant) perfugit. Familiæ
 aliquot cum mapalibus pecoribusque suis (ea
 pecunia illis est) persecuti sunt regem : ce-
 tera Massylorum multitudo in ditionem Sy-
 phacis concessit. Quem ceperant exsules mon-

*Syphax
 vincit Ma-
 sinissam.*

(l) id del. Gron. Crev.

(m) dimicaturus Gron.

*V. c. 548.
a. C. 204.*

tem; herbidus aquosusque est; &, quia pecori bonus alendo erat, hominum quoque, carne ac lacte vescantium, abunde subsiciebat alimentis. Inde nocturnis primo ac furtivis incursionibus, deinde aperto latrocinio, infesta omnia circa esse: maxime uri Carthaginiensis ager, quia & plus praeda, quam inter Numidas, & latrocinium tutius erat. Jamque adeo licenter eludebant, ut ad mare devectam praedam venderent mercatoribus, adpellentibus naves ad id ipsum; pluresque, quam justo saepe in bello, Carthaginiensium caderent caperenturque. Deplorabant ea apud Syphacem Carthaginienses, infensumque & ipsum ad reliquias belli persequendas instigabant: sed vix regium videbatur, latronem vagum in montibus consecrari.

*Bocchar
mittitur in
Masinissam.*

XXXII. BOCCHAR, ex praefectis regis vir acer & inpiger, ad id delectus. Ei data quatuor millia peditum, duo equitum: praemiorumque ingentium spe oneratus, si caput Masinissae retulisset, aut vivum (id vero inaeſtimabile gaudium fore) cepisset, palatos incurioseque agentes inprovisto adortus, pecorum hominumque ingenti multitudine a praesidio armatorum exclusa, Masinissam ipsum

cum paucis in verticem montis compellit. *U. c. 548.
a. C. 204.*
Inde, prope ut jam debellato, nec præda
modo pecorum hominumque captorum missa
ad regem, sed copiis etiam, ut aliquanto ma-
joribus, quam pro reliquiis belli, remissis,
cum quingentis haud amplius peditibus du-
centisque equitibus, degressum jugis Mas-
nissam persecutus, in valle arta, faucibus
utrimque obsessis, inclusit. Ibi ingens cædes
Massylorum facta. Masinissa cum quinquagin-
ta haud amplius equitibus per amfractus mon-
tis ignotos sequentibus se eripuit. Tenuit ta-
men vestigia Bocchar: adeptusque eum pa-
tentibus prope Clupeam urbem campis, ita
circumvenit, ut, præter quatuor equites,
omnes ad unum interficeret (n). Cum iis
ipsum quoque Masinissam faucium prope e
manibus inter tumultum amisit. In conspectu
erant fugientes: ala equitum, dispersa toto
campo, quibusdam, ut obcurrerent, per ob-
liqua tendentibus, quinque hostes sequeba-
tur. Amnis ingens fugientes accepit, (neque
enim cunctanter, ut quos major metus ur-
gueret, inmisert equos) raptique gurgite,
& in obliquum prælati. Duobus in conspectu

*Influit in
fluvium,
unde eum
duobus
emergit.*

(n) interfecerit Gron. Crev.

*U. c. 548.
a. C. 204.*

hostium in prærapidum gurgitem haussis, ipse periisse creditus. At duo reliqui equites cum eo inter virgulta ulterioris ripæ emerferunt. Is finis Bocchari sequendi fuit, nec ingredi flumen auso, nec habere credenti se jam, quem sequeretur. Inde vanus auctor absumti Masinissæ ad regem rediit; missique, qui Carthaginem gaudium ingens nunciarent: totaque Africa fama mortis Masinissæ repleta varie animos adfecit. Masinissa in spelunca occulta, quum herbis curaret vulnus, duorum equitum latrocinio per dies aliquot vixit.

In spelunca latens, vulnus curat.

Uli primum ducta cicatrix, patique posse visa jactationem, audacia ingenti pergit ire ad regnum repetendum: atque, in ipso itinere haud plus quadraginta equitibus collectis, quum in Massylos, palam jam quis esset ferens, venisset, tantum motum quum favore pristino, tum gaudio insperato, quod, quem perisse crediderant, incolumem cernebant, fecit, ut intra paucos dies sex millia peditum armatorum, quatuor equitum, ad eum convenirent; jamque non in possessione modo paterni regni esset, sed etiam socios Carthaginensium populos Masæsyloꝝque fines (id Syphacis regnum erat) vastaret.

LIBER XXIX CAP. XXXIII 77

Inde , inritato ad bellum Syphace , inter Cirtam Hipponemque in jugis obportunorum ad omnia montium confedit.

U. c. 548.
a. C. 204.

XXXIII. MAJOREM igitur eam rem Syphax ratus , quam ut per præfectum ageret , cum filio juvene (nomen Verminæ erat) parte exercitus missa , imperat , ut , circumducto agmine , in se intentum hostem ab tergo invadat. Nocte profectus Vermina , qui ex occulto adgressurus erat : Syphax autem interdiu aperto itinere , ut qui , signis conlatis , acie dimicaturus esset , movit castra. Ubi tempus visum est , quo pervenisse jam circummissi videri poterant , & ipse leni clivo ferente ad hostem , quum multitudine fretus , tum præparatis ab tergo insidiis , per adversum montem erectam aciem ducit. Masinissa fiducia maxime loci , quo multo æquiore pugnaturus erat , & ipse dirigit suos. Atrox prælium & diu anceps fuit ; loco & virtute militum Masinissam , multitudine , quæ nimio major erat , Syphacem juvante. Ea multitudine divisa , quum pars a fronte urgueret , pars a tergo se circumfudisset , victoriam haud dubiam Syphaci dedit : & ne effugium quidem patebat hinc a fronte , hinc ab tergo in-

*Syphax
adversus
eum
contendit.*

*U. c. 548.
a. C. 204.*

clusis. Itaque ceteri pedites equitesque cæsi aut capti. Ducentos ferme equites Masinissa circa se conglobatos, divisosque turmatim in tres partes, erumpere jubet; loco prædicto, in quem ex dissipata convenirent fuga. Ipse, qua intenderat, inter media tela hostium evasit. Duæ turmæ hæserunt: altera metu dedita hosti; pertinacior in repugnando telis obruta & confixa est. Verminam prope vestigiis instantem, in alia atque alia flectendo itinera (o) eludens, tædio & desperatione tandem fessum, absistere sequendo coëgit. Ipse cum sexaginta equitibus ad minorem Syrtim pervenit. Ibi cum conscientia egregia sæpe repetiti regni paterni, inter Punica Emporia gentemque Garamantum omne tempus, usque ad C. Lælii classem Romanæ adventum in Africam, consumpsit. Hæc animum inclinant, ut cum modico potius, quam cum magno præsidio equitum, ad Scipionem quoque postea venisse Masinissam credamus: quippe illa regnantis multitudo, hæc paucitas exfulis fortunæ conveniens est.

Carthaginienses novum equitatum sibi comparant.

XXXIV. CARTHAGINIENSES, ala equitum cum præfecto amissa, alio equitatu per no-

(o) itinere Crev.

vum delectum comparato, Hannonem Hamilcaris filium præficiunt. Hasdrubalem subinde ac Syphacem per literas nunciosque, postremo etiam per legatos, arcessunt: Hasdrubalem opem ferre prope circumfessæ patriæ jubent: Syphacem orant, ut Carthagini, ut universæ Africæ subveniat. Ad Uricam tum castra Scipio, ferme mille passus ab urbe, habebat, translata a mari, ubi paucos dies stativa conjuncta clâssi fuerant. Hanno, nequaquam satis valido, non modo ad laceffendum hostem, sed ne ad tuendos quidem a populationibus agros, equitatu accepto, id omnium primum egit, ut per conquestionem numerum equitum augeret: nec aliarum gentium adspersatus, maxime tamen Numidas (id longe primum equitum in Africa est genus) conducit. Jam ad quatuor millia equitum habebat, quum Saleram nomine urbem occupavit; quindecim ferme millia ab Romanis castris. Quod ubi Scipioni relatum est, «Æstiva sub testis equitatus! [inquit] sint» (p) vel plures, dum talem ducem habeant. » Eoque minus sibi (q) cessandum ratus, quo illi

*U. c. 548.
a. C. 204.*

(p) *Æst. s. t, agere equitatus; sint, inquit, Gron.*

(q) *sibi del. Gron.*

*U. c. 548.
a. C. 204.*

segnius rem agerent, Masinissam cum equitatu præmissum portis obequitare, atque hostem ad pugnam elicere, jubet: ubi omnis multitudo se effudisset, graviorque jam in certamine esset, quam ut facile sustineri posset, cederet (r) paulatim; se, in tempore pugnae obventurum. Tantum moratus, quantum satis temporis prægresso visum ad eliciendos hostes, cum Romano equitatu secutus, tegentibus tumultis, qui perobportune circa viæ flexus obpositi erant, occultus processit.

*Equestre
prælium.*

Masinissa, ex composito, nunc terrentis, nunc timentis modo, aut ipsis obequitabat portis, aut cedendo, quum timoris simulatio audaciam hosti faceret, ad insequendum (s) temere eliciebat. Nondum omnes egressi erant, varieque dux fatigabatur, alios vino & somno graves arma capere, & frenare equos cogendo; aliis, ne sparsi & inconditi sine ordine, sine signis omnibus portis excurrerent, obfistendo. Primo incaute se evehentes Masinissa excipiebat: mox plures simul conferti porta effusi æquaverant certamen: postremo, jam omnis equitatus prælio quum adesset, sustineri

(r) *cedere Gron. Crev.*

(s) *ad insequendum l. insequentem Gron. Crev.*

sustineri ultra nequiere (t). Non tamen effusa
 fuga Masinissa, sed cedendo sensim, inpetus
 eorum excipiebat : donec ad tumulos tegan-
 tes Romanum equitatum pertraxit. Inde exorti
 equites & ipsi integris viribus, & recentibus
 equis, Hannoni Afrisque pugnando ac sequen-
 do fessis se circumfudere : & Masinissa, fle-
 xis subito equis, in pugnam rediit. Mille fer-
 me, qui primi agminis fuerant, ut quibus
 haud facilis receptus fuit, cum ipso duce
 Hannone interclusi atque interfecti sunt. Ce-
 teros, ducis præcipue territos cæde, effuse
 fugientes per tria (u) millia passuum victo-
 res secuti, ad duo præterea millia equitum
 aut ceperunt, aut occiderunt. Inter eos satis
 constabat, non minus ducentos Carthaginien-
 sium equites fuisse, & divitiis quosdam &
 genere inlustres.

*Vincuntur
 Carthagi-
 nienses.*

XXXV. EODEM sorte, quo hæc gesta sunt,
 die naves, quæ prædam in Siciliam vexerant,
 cum commeatu rediere; velut ominatæ, ad
 prædam alteram repetendam sese venisse.
 Duos eodem nomine Carthaginensium duces
 duobus equestribus præliis interfectos, non

(t) nequiere Gron. Crev.

(u) triginta Crev.

Tom. VII.

F

U. c. 548. omnes auctores sunt : veriti , credo , ne fals
a. C. 207. leret his relata eadem res. Cœlius quidem &

*Scipio
 populatur
 Africam.*

Valerius captum etiam Hannonem tradunt. Scipio præfectos equitesque , prout cujusque opera fuerat , ante omnes Masinissam , insignibus donis donat : & , firmo præsidio Salera inposito , ipse cum cetero exercitu profectus , non agris modo , quacumque incedebat , populatis , sed urbibus etiam quibusdam vicisque expugnatis , late fuso terrore belli , septimo die , quam profectus erat , magnam vim hominum & pecoris & omnis generis prædæ trahens , in castra redit : gravesque iterum hostilibus spoliis naves dimittit. Inde , ommissis expeditionibus parvis populationibusque , ad obpugnandam Uticam omnes belli vires convertit : eam deinde , si cepisset , sedem ad cetera exsequenda habiturus. Simul & a classe navales focii , qua ex parte urbs mari adluitur , simul & terrestres exercitus ab inminente prope ipsis mœnibus tumulto est admotus. Tormenta machinasque & advexerat secum , & ex Sicilia missa cum comœatibus erant : & nova in armamentario , multis talium operum artificibus de industria inclusis , fiebant. Uticensibus tanta undique mole cir-

*Uticam
 obpugnat.*

cumfessis in Carthaginiensi populo ; Carthaginiensibus in Hasdrubale ita, si is movisset Syphacem, spes omnis erat : sed desiderio indigentium auxilii (v) tardius cuncta movebantur. Hasdrubal, intentissima conquisitione quum ad triginta millia peditum, tria equitum confecisset, non tamen ante adventum Syphacis castra propius hostem movere effausus. Syphax cum quinquaginta millibus peditum, decem equitum advenit : confestimque motis ab Carthagine castris, haud procul Utica munitionibusque Romanis confedit. Quorum adventus hoc tamen momenti fecit, ut Scipio, quum quadraginta ferme dies nequidquam omnia experiens obsedisset Uticam, abscederet inde inrito incepto. Et (x) (jam enim hiems instabat) castra hiberna in promontorio, quod tenui jugo continenti adhærens in aliquantum maris spatium extenditur, communit : uno vallo & navalia (y) castra amplectitur. Jugo medio legionum castris inpositis, litus ad septentrionem versum subductæ naves navalesque focii tenebant : meri-

*U. c. 548.
a. C. 204.*

Hasdrubalis & Syphacis ingentes copiae.

Scipio recedit ab Utica.

(v) *auxilia Gron.*

(x) & del. *Gron. Crev.* sublati parentheses signis.

(y) *navalium Gron. Crev.*

*U. c. 548.
a. C. 204.*

dianam vallem ad alterum litus devexam equitatus. Hæc in Africa usque ad extremum autumnii gesta.

Commeatus ad Scipionem advecti.

XXXVI. PRÆTER convectum undique ex populatis circa agris frumentum, commeatusque ex Sicilia atque Italia advectos, Cn. Octavius proprætor ex Sardinia ab Ti. Claudio prætore, cujus ea provincia erat, ingentem vim frumenti advexit: horreaque non solum, quæ jam facta erant, repleta, sed nova ædificata. Vestimenta exercitui deerant. Id mandatum Octavio, ut cum prætore ageret, si quid ex ea provincia comparari ac mitti posset. Ea quoque haud segniter curata res. Millæ ducentæ togæ brevi spatio, & (z) duodecim millia tunicarum missa. Æstate ea, qua hæc in Africa gesta sunt, P. Sempronius consul, cui Bruttii provincia erat, in agro Crotoniensi cum Hannibale in ipso itinere tumultuario prælio confligit. Agminibus magis, quam acie, pugnatum est. Romani pulsi, & tumultu verius, quam pugna, ad (a) mille & ducenti de exercitu consulis interfecti: in castra trepide reditum. Neque obpugnare

*Sempronius Cos.
cum Hannibale male pugnat.*

(z) *Et del. Gron. Crev.*

(a) *ad del. Gron. Crev.*

tamen ea hostes ausi. Ceterum silentio proximæ noctis profectus inde consul, præmisso nuncio ad P. Licinium proconsulem, ut suas legiones admoveret, copias conjunxit. Ita duo duces, duo exercitus ad Hannibalem redierunt; nec mora dimicandi facta est: quum consuli duplicatæ vires, Pœno recens victoria animo esset. In primam aciem suas legiones Sempronius induxit: in subsidiis locatæ P. Licinii legiones. Consul principio pugnae ædem Fortunæ Primigeniæ vovit, si eo die hostes fudisset: composque ejus voti fuit. Fusi ac fugati Pœni: supra quatuor millia armatorum cæsa: paullo minus trecenti vivi capti, & equi quadraginta, & undecim militaria signa. Percussus adverso proelio Hannibal Crotonem exercitum abduxit. Eodem tempore M. Cornelius consul in (b) altera parte Italiæ non tam armis, quam judiciorum terrore, Etruriam continet, totam ferme ad Magonem, ac per eum ad spem novandi res, versam. Eas quæstiones ex fenatusconsulto minime ambititiose habuit. Multique nobiles Etrusci, qui aut ipsi ierant, aut miserant ad Magonem de populorum

*U. c. 548.
a. C. 204.*

Hannibalem acie vincit.

*Cornelius
Cos. Etruriam in
officio continet.*

(b) in del. Gron.

V. c. 548.
a. C. 204

fuorum defectione, primo præsentés erant condemnati; postea, conscientia sibi met ipsi exsilium consciscéntes, quum absentes dam-nati essent, corporibus subtractis, bona tan-tum, quæ publicari poterant, pignoranda poenæ præbebant.

*Livii
&
Claudii
censura.*

XXXVII. DUM hæc consules diversis re-gionibus agunt, censores interim Romæ M. Livius & C. Claudius senatum recitaverunt. Princeps iterum lectus Q. Fabius Maximus. Notati septem: nemo tamen, qui sella curuli sedisset. Sarta testâ acriter & cum summa fide exegerunt. Viam e foro Boario ad Ve-neris, & circa foros publicos, & ædem Ma-tris Magnæ in Palatio faciendam locaverunt. Vestigal etiam novum ex salaria annona sta-tuerunt. Sextante sal & Romæ & per totam Italiam erat. Romæ pretio eodem, pluris in foris & conciliabulis, & alio alibi pretio præbendum locaverunt. Id vestigal commen-tum alterum ex censoribus satis credebant, populo iratum, quod iniquo iudicio quon-dam damnatus esset: & in pretio salis ma-xime oneratas tribus, quarum opera damna-tus erat, credebant. Inde Salinatori Livio inditum cognomen. Lustrum conditum serius,

LIBER XXIX CAP. XXXVII 87

quia per provincias dimiserunt censores, ut civium Romanorum in exercitibus, quantus ubique esset, referretur numerus. Censa cum iis ducenta decem quatuor millia hominum, Condidit lustrum C. Claudius Nero. Duodecim deinde coloniarum, (quod numquam antea factum erat) deferentibus ipsarum coloniarum censoribus, censum acceperunt : ut, quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta exstarent. Equitum deinde census agi coeptus est : & ambo forte censores equum publicum habebant. Quum ad tribum Polliam ventum est, in qua M. Livii nomen erat, & præco cunctaretur citare ipsum censorem; "Cita, » [inquit Nero] M. Livium : » &, sive ex residua & vetere similitudine, sive intempestiva jactatione severitatis inflatus, M. (c) Livium, quia populi judicio esset damnatus, equum vendere jussit. Item M. Livius, quum ad tribum Arniensem (d) & nomen collegæ ventum est, vendere equum C. Claudium jussit, duarum rerum causa; unius, quod falsum adversus se testimonium dixisset; alterius;

U. c. 548.

a. C. 204.

*Census.**Certamen
notarum
inter
censores.*

(c) M. del. Gron. Crev.

(d) Narniensem Gron. Crev.

U. c. 548. quod non sincera fide secum in gratiam redisset. Itaque ibi fœdum certamen inquinandi famam alterius, cum suæ famæ damno, factum est. Exitu censuræ quum in leges jurasset C. Claudius, & in ærarium escendisset, inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Deinde M. Livius in ærarium venit, & præter Mæciam tribum, quæ se nec condemnasset, neque condemnatum aut consulem aut cenforem fecisset, populum Romanum omnem, quatuor & triginta tribus, ærarios reliquit: quod & innocentem se condemnassent, & condemnatum consulem & cenforem fecissent: neque inficiari possent, aut iudicio semel, aut comitiis his ab se peccatum esse. Inter quatuor & triginta tribus & C. Claudium ærarium fore. Quod si exemplum haberet bis eundem ærarium relinquendi, C. Claudium nominatim se inter ærarios fuisse relicturum. Præter certamen notarum inter censores: castigatio inconstantiae populi censoria, & gravitate temporum illorum digna. In invidia censores quum essent, crescendi ex his ratus esse occasionem Cn. Bæbius tribunus plebis diem ad populum utrique dixit. Ea res consensu Pa-

LIBER XXIX CAP. XXXVIII 89

trum discussa est, ne postea obnoxia popu- *U. c. 548.*
 lari auræ censura esset. *a. C. 204.*

XXXVIII. EADEM æstat in Brutiis Clam-
 petia a consule vi capta, Consentia & Pan-
 dosia, & ignobiles aliæ civitates, voluntate
 in ditionem venerunt. Et, quum comitiorum
 jam adpeteret tempus, Cornelium potius ex
 Etruria, ubi nihil belli erat, Romam adiri
 placuit. Is consules Cn. Servilium Cæpionem
 & C. Servilium Geminum creavit. Inde præ-
 toria comitia habita. Creati P. (e) Cornelius *Comitia.*
 Lentulus, P. Quinctilius Varus, P. Ælius Pætus,
 P. Villius Tappulus. Hi duo, quum ædiles ple-
 bis essent, prætores creati sunt. Consul, comi-
 tiis perfectis, ad exercitum in Etruriam rediit.
 Sacerdotes eo anno mortui, atque in locum
 eorum subfecti; Ti. Veturius Philo flamen
 Martialis, in locum M. Æmilii Regilli, qui
 priore anno mortuus erat, creatus inaugu-
 ratusque: & in M. Pomponii Mathonis au-
 guris & decemviri locum creati, decemvir M.
 Aurelius Cotta, augur Ti. Sempronius Grac-

(e) Cn. Gron. Crev.

U. c. 548.
a. C. 204. chus admodum adolescens, quod tunc perrum in mandandis sacerdotiis erat. Quadrigæ aureæ eo anno in Capitolio positæ ab ædilibus curulibus, C. Livio & M. Servilio Geminio. Et ludi Romani biduum instaurati. Item per biduum plebei ab ædilibus P. Ælio, P. Villio : & Jovis epulum fuit ludorum causa,